
724

LIBERTI FROMONDI
IN ACADEMIA LOVANIENSI
S. TH. DOCT. ET PROF. ORD.

ANT-ARISTARCHVS
SIVE
ORBIS-TERRÆ IMMOBILIS.
LIBER VNICVS.

In quo decretum S. Congregationis S. R. E. Cardinal. an. CIↃ. IↃC. XVI. aduersus Pythagorico-Copernicanos editum defenditur.



ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA
BALTHASARIS MORETI.
M. DC. XXXI.

CLARISSIMO ET AMPLISSIMO VIRO D. ANDREÆ TREVISIO SERENISSIMÆ BELGARVM PRINCIPIS MEDICO CVBICVLARIO D. C. Q.

AMPLISSIME DOMINE, Quæ nuper coràm in Copernicanos breuiter diſſeruimus, ſparſa hîc vides, & diffuſa in Libelli molem. Ad Te, inquam, noſter ANT-ARISTARCHVS, venit: non vt in partes trahat, ſed ducem in hac pugnâ ſequatur, qui dudum Ariſtarchos ratione, riſu, & omni genere teli inceſſere ſoles.

Alia deinde nomina erant, quibus AMPLITVDINI TVÆ à me munus debebatur; &

quia deerat, vicem, aut confeſſionem ſaltem eius munuſculum hoc implebit. Neque ingratum, ſi benè Te noui, cui ſtudia & Muſæ iſtæ ſic ſunt cordi, vt præ illis humana omnia, & diuitias præſertim, quas alij tam effusè ſequuntur, aut altè extollunt, non in magnis, imò ne quidem in ſeriјs ducas. Tibi enim

Naziāz. Oratione 9. ſunt, quales debent: ὥσπερ χνοῦς ὑπὸ λαίλαπος ἄλλοτε εἰς ἄλλους ῥιπιζόμενός τε καὶ μεταρριπτόμενος, *inſtar pulueris, quem ab alijs ad alios turbo ventilat, & vltrò citroq́ue iactat.* Rideant iſta qui eas amant: res tamen ita habet; & depreſſæ ac viles animę ſunt, quarum omnis aut princeps cura in marſupium vadit. Tu erectior: Deum primùm ſuſpicis, deinde creaturam eius & fabricam circumſpicis; & ſic tamen etiam, vt ad Auctorem per iſtas circulo quodam reuertaris: id eſt, Medicum & Philoſophum Chriſtianum agis.

Senec. de Otio Sap. cap. 32. Ideò enim Deus, & *Natura artis & pulchritudinis ſuæ conſcia ſpectatores nos tantis rerum ſpectaculis genuit, perditura fructum ſui, ſi tam magna, tam clara, tam ſubtiliter ducta, tam nitida, & non vno genere formoſa ſolitudini oſtenderet.*

Homini igitur, & Tibi, VIR AMPLISSIME, potiùs oſtendit, vt admirationem tuam

&

& amorem in Creatorem conuerteret. Ceteras virtutes tuas, quæ Auguſtæ memoriæ Principi ALBERTO PIO (ô patria nondum eluxiſti illud funus!) & incomparabili Heroinæ ISABELLÆ CLARÆ EVGENIÆ tam carum nuper & hodie effecêre, ſileo: patientiam laborum, & viridem illum in ſenili corpore animum tantùm iam admirabor, qui nullam feſſæ ætati dat vacationem; vt cum animoſis illis & conterraneis tuis Latinis canere poſſis:

——— Non tarda ſenectus Virgil. lib. 9.
Debilitat vires animi, mutatq́ vigorem.
Canitiem galeâ premimus.

Neque tamen tot iſtis moleſtiarum & rei familiaris impendijs, propriæ (quod multi faciunt) ſed publicæ (quod rariſſimi) caritati & vtilitatibus militas; vt omnino veriùs in Te, quàm in Alcibiadem olim, generoſum iſtud competat: Ἐμαυτοῦ μὲν ἀμελῶ, τὰ δ' Ἀθηναίων πράττω, *Meipſum negligo, res Athenienſium curo.* Plat. in Sympoſ.

Vtinam in Rep. multi hodie tales, neque tot iam vbiq; noui Argonautæ ſint, qui dum Principibus ſuis & publico operam nauare palàm videntur, occultè tamen Colchos ad

aureum vellus ſibi nauigant. Sed vouere iſthæc, ſperare nondum, licet; ac nimius ſpei ſim, ſi veteres iſtas omnium ſæculorum querelas, hoc noſtro tam infelici finiendas exiſtimem.

Vale, VIR AMPLISSIME, & aſpice qui Te ſuſpicit, ac Deum Opt. Max. orat, vt extremum hunc vitæ Tuæ curſum, vbi longiſſimè per omnia à cælo circumſcripta annorum volumina decurrerit, in æternæ felicitatis portum molliſſimè deponat.

AMPLISSIMÆ D. T.

deuotiſſimus

LIB. FROMONDVS.

Louanij Kal. Septembr.
an. CIↃ.IↃC.XXXI.

AD

AD LECTOREM.

VETVS *in scholastico puluere est ista rixa: Vtrùm cælum terrâ stante circumeat, an cælo stante terra vertatur.* Fuerunt (*Pythagorici*) qui dicerent, *inquit Seneca*, nos esse quos rerum natura nescientes ferat, nec cæli motu fieri ortus & occasus, sed ipsos (*nos homines*) oriri & occidere. Digna res est contemplatione, vt sciamus in quo rerum statu simus: pigerrimam sortiti, an velocissimam sedem: circa nos Deus omnia agat, an nos agat. Lib. 7. cap. 2. Natur.

Pythagorici tamen plurium auctoritate, & mole argumentorum diu oppressi, donec sæculo tandem elapso, Nicolai Copernici Borussi ingenium eos erexit, & ab eo iam toto penè Orbe diffusi, nomen etiam Copernicanorum habent.

Fidei tamen Catholicæ alienos præcipuè hæc secta inuasit, qui licet sacrarum Scripturarum (quæ minimè Copernicanæ esse videntur) non omnino contemptores, interpretationis tamen liberiores, eas cereas magis habent, vt quocumque libuerit ferè ducant; cùm neminem in terris à Deo positum interpretem agnoscant, cui velint acquiescere.

In ijs hodie aut nuper Principes, Christoph. Rothmannus,

mannus, VVilhelmi Lantgrauij Hassiæ Mathematicus: Michaël Mæstlinus, oppidi Bachnang quondam Parochus, postea in Academia Heidelbergensi, deinde Tubingensi (vbi eum audiuit Keplerus) Matheseos Professor: Joannes Keplerus, Rudolphi, Matthiæ, Ferdinandi Cæsarum Mathematicus: Guil. Gilbertus Colcestrensis, Medicus Londinensis: Dauid Origanus Silesius, Academiæ Brandenburgicæ Francofurti ad Viadrum Mathematicarum Professor Ordinarius: & nouissimè, vt ex hoc etiam mustaceo laureolam quæreret, oceano Zelandico nuper emersit Philip. Lansbergius, Minister Goesanus: quem vicini Hollandi tam altè & improbè extollunt, vt supra Copernicum aliquid sapere videri poßit; cùm tamen Kepleri sarcinas egregiè manticulatum (etsi callidè dissimulet) res ipsa palàm dicat, & quæ ab eo demutant (præsertim vbi ad Theologiam suam trahit) à vero & ratione, aut cæcus sum, aut largissimè delirant. Ego Belgas meos amare & laudare effusè soleo, etiam qui religionis diuersi, si laude aliquid dignum habent (cùm etiam in sterquilinio gemmam æstimemus;) hunc tamen, in istâ Astronomiæ & Theologiæ Copernicanæ parte, vt faciam adduci non possum: aioq; Martinum Hortensium in eum Belgasq; omnes iniuriosissimè nuper fecisse, dum Commentationes *illas eius* in motum terræ diurnum, *vernaculè ab ipso rerum istarum*

rudibus

rudibus & populari admirationi ſcriptas, Latinè reddidit. Si Vranometria quam promittit, ad exemplum iſtud eſt, quæſo, ne mundus eam videat, & Belgis ſuis, nihil tale meritis, iſtam ignominiam remittat. Fateor enim, Libellus ille eius tam bliteus, nuper caſu mihi lectus, bilem ad iſta quæ olim muginatus eram, ſubitò retractanda accendit. Decretum etiam S. Congregationis S.R.E Cardinalium an. CIↃ. IↃC. XVI. *aduerſus Copernicanos editum, quòd indignis modis à quibuſdam haberi viderem, propugnare animus fuit. Oſtendere, inquam, merito magno eſſe conditum, Scripturam ſacram à Copernicanis temerari, & infinitam Dei ſapientiam quæ cælos condidit, non ornari (quod videri volunt) nimiâ iſtâ, quam captant, motuum ſimplicitate, & intelligentiæ facilitate, ſed diſcingi & euileſcere. Non intelligamus ſanè diuinas rationes; non ideò falſæ ſunt, imò diuiniores.* Θεὸς οὐκ ἄτεχνός ἐστὶ ὡς ἡμεῖς, οὔτε ταῦτα διοικεῖται ἀτάκτως, ὅτι μὴ καὶ ἡμῖν λόγος γνώριμος. ἀλλ᾽ εἴ τινα δεῖ καὶ εἰκόνα λαβεῖν τοῦ ἡμετέρου πάθους· οὐ πόῤῥω τῶν ναυτιώντων ἐσμὲν, καὶ ἰλιγγιώντων, οἳ στρέφεσθαι τὰ πάντα δοκοῦσιν, αὐτοὶ στρεφόμενοι. Naziãz. Oratione 16.
Deus artis ſuæ imperitus non eſt, quemadmodum nos ſumus; neque hæc inconditè adminiſtrantur, etiamſi rationes ignoremus. ſed ſi imagine aliquâ affectus noſtros exprimere oportet: non multùm diſſimiles ijs ſumus, qui nauſeâ in mari, aut

** verti-

vertigine laborant, qui omnia in orbem verti putant, cùm vertantur ipſi. *Vertigo, inquam, quâ terram & ædificiorum tecta infamant, in ſpiritibus cerebri eorum eſt: quod etiam ebriȷs quandoque euenit,*

Iuuenal. Dum bibitur conchâ, cùm iam vertigine tectũ
Ambulat, & geminis exurgit menſa lucernis.

Ceterùm, Ant-Ariſtarchi nomen Libello meo placuit, quia Ariſtarchum Samium huius paradoxi principem fecit Archimedes, vt interpretatur Fleurantius: aut certè, ſi à conterraneo Pythagorâ poſterior accepit, ſcriptis tamen celebrauit ipſe fortaſſe primus, cùm nihil librorum à Pythagorâ fuiſſe editum, conſtet inter omnes. Audi Archimedem linguam ſuam Doricam In Arenar. *apertâ & hiante larynge ſonantem:* Ταῦτα ἐν ταῖς γραφομέναις παρὰ τῶν Ἀστρολόγων διακρούσας Ἀρίσταρχος ὁ Σάμιος, ὑποθεσίων τινῶν ἐξέδωκεν γράψας, ἐν αἷς ἐκ τῶν ὑποκειμένων συμβαίνει τὸν κόσμον πολλαπλάσιον εἶμεν τοῦ νῦν εἰρημένου. ὑποτίθεται γὰρ τὰ μὲν ἀπλανῆ τῶν ἄστρων, καὶ τὸν ἅλιον μένειν ἀκίνητον· τὰν δὲ γᾶν περιφέρεσθαι περὶ τὸν ἅλιον κατὰ κύκλου περιφέρειαν, ὅς ἐστιν ἐν μέσῳ τῷ δρόμῳ κείμενος. Ea quæ ſcripta ſunt ab Aſtrologis diſcutiens Ariſtarchus Samius, hypotheſes quaſdam ſcriptis edidit, ex quibus ſequitur mundum eſſe multipliciter maiorem eo quem iam diximus. ſupponit enim ſtellas fixas & ſolem non moueri; terram autem circa ſolem in medio curri-

curriculi iacentem, in orbem circumferri. *Addit deinde mox, dixisse eum, totum orbis annui, in quo terra ambulat, circuitum, comparatione sphæræ fixarum instar puncti esse, ideoq́; terram videri in mundi centro perpetuò quiescere, etiamsi ipsum maximo circumcurrat ambitu: quæ ipsissima est Copernici, & hodie Copernicanorum sententia. Solem nihilominus in centro mundi, & medio illo curriculo malè iacêre, terramq́; pessimè ab Aristarcho inde extractam fuisse, ac in legem,* μὴ κινεῖν εὖ κείμενον, ab eo peccatum, ostendere hic Libellus aggreditur.*

**non mouendum quod bellè iacet.* Plat. in Phileb.

APPROBATIO.

CEssent ingenio suo blandiri, qui Terram gyrant, & subsequâ Fidei ratione, in hoc Fromondi Opere conuicti, vertiginis propriæ immunes conquiescant. Act. Louanij 2. Octob. 1630.

Mart. Lunæcenius S. Theol. L. & Prof. Ordin. Apostolicus ac Regius Librorum Censor.

SVMMA PRIVILEGII.

PHILIPPVS IV. Hispaniarum & Indiarum Rex Catholicus, ac Potentissimus Belgarum Princeps, diplomate suo sanciuit, nequis *Liberti Fromondi S. Th. Doctoris & in Academiâ Louaniensi Professoris Ant-Aristarchum, siue de Orbe terræ immobili Librum*, præter Balthasaris Moreti voluntatem vllo modo intra sexennium imprimat, aut alibi terrarum impressum in Germaniæ Inferioris ditiones importet, venalémve habeat. Qui secùs faxit, confiscatione librorum, & aliâ graui pœnâ mulctabitur, vti latiùs patet in litteris datis Bruxellæ VI. Februarij M. DC. XXXI.

Signat.

Steenhuyse.

LIBER-

LIBERTI FROMONDI ANT-ARISTARCHVS SIVE ORBIS-TERRÆ IMMOBILIS.

CAPVT PRIMVM.

Qui auctores Philosophiæ Samiæ. Et quàm seriò & affirmatè sentiant terram in orbem gyrari hodie Copernicani.

NON absurdè Aristoteles, οὐ ἅπαξ, οὐδὲ δὶς, οὐδὲ ὀλιγάκις, τὰς αὐτὰς δόξας ἀνακυκλεῖν, ἀλλ᾽ ἀπειράκις, *nec semel, neque bis, neque rarò easdem opiniones reuerti* dixit, *sed infinities*. Vti enim ceteræ res humanæ oriuntur, aboriuntur, deinde resurgunt vt rursum occidant; ita opiniones & scita mortalium eunt redeuntque per reciprocum istum orbem. Lib.1 c. 3. Meteor.

Pythagoræ Samio, aut fortè ante eum Aristarcho, dum cælum & terram olim non tam oculis quàm intellectu circumspicit, in mentem venit, terram moueri, solem verò & cælum stare. Nam terram planetam quemdam esse censuit, qui circa solem in centro mundi defixum conuerteretur.

Pythagorici, inquit Aristoteles, quia ignis omnium corporum præstantissimum est, & publici boni interest eum incolumem seruari, ideò in mundi meditullium deposuerunt, ὃ Διὸς φυλακτὴν ὀνομάζουσι, *quod Iouis custodiam appellant*. Et licet hoc Aristoteles de igne elemẽtari, & ego de infernali libenter acceperim, Pythagorici tamen de cælesti & solari, communi consensu intelligunt. Pytha- Lib.2.c.13 Cæli.

 goram

goram ſecuti Ariſtarchus Samius (niſi tamen hic Pythagorâ vetuſtior fuit) Philolaus, Hicetas, Seleucus, Cleanthes Samius, Leucippus, Heraclides, Ecphantus, imò Plato iam ſenex, vt narrat Theophraſtus, nec pertinaciter abnuerim, quandoquidẽ *ab Archytâ Tarentino, & Timæo Locrenſi, Pythagoræ doctrinâ eruditus, elegantiam & lepôrem Socratis cum huius miſcuerit diſciplinis*, vt ait D. Hieron.

Apolog. aduerſ. Ruff.

Plutarchus tamen alicubi eum infamiâ iſtâ liberat: non tamen Numam Regem Romanorum, quem eâ mente templum Veſtæ rotundum, ad imaginem mundi, ædificaſſe memorat, in cuius medio, æterni ignis (quo ſolem repræſentabat) eſſet cuſtodia.

Plutar. in Numâ.

Hos verò omnes non philoſophatos, ſed adeò deliraſſe credit Lipſius noſter, vt palàm dicere audeat: *Vides deliria. quomodo aliter appellem? aut quid in iſta inquirã? etſi (tantus paradoxorum amor eſt) etiam patrum æuo nobilis Mathematicus* (ſine dubio, Copernicus) *hanc hæreſim excitauit, ſed cum ipſo ſepultam*. Quàm tamen fallitur! nam præter Mæſtlinum nuper, Rothmannum, Keplerum, & Origanum in Germaniâ, Patritium, Galilæum, & Foſcarinum in Italiâ, Gilbertum in Angliâ, Philip. Lanſbergium in Zelandiâ, plurimos alios per totam Europam ſparſim hodie (maximè qui inopinabilibus admirationem & famam colligere amant) conſectaneos habet. Neque etiam verum eſt, quod quidam exiſtimant, non ex intimâ animi ſui ſententiâ Copernicum hypotheſes illas de motu terræ & ſolis ſtatu confinxiſſe, & ex epiſtolâ perperàm colligunt editioni Copernici anni 1543. præfixâ. quippe non à Copernico, ſed Andreâ Oſiandro hæc adſuta fuit, cùm Copernicus mortuus iam, aut ignarus eſſet, inquit ad Pet. Ramum Keplerus. *Non igitur*, ait, *μυθολογεῖ & fabulatur Copernicus, ſed ſeriò παραδοξολογεῖ, hoc eſt φιλοσοφεῖ, quod tu in Aſtronomo deſideras*.

Lib. 2. d. 19 Phyſiol.

Epiſt. ad Ramum.

Imò Keplerus perſuadere conatur, Chriſtoph. Clauium, qui hactenus tam pertinaciter Ptolemæo adhæſerat, extremis admotum, exemplo Platonis, fluctuaſſe. *Permouit veritas victã*, ait Keplerus, *anteſignanum illum Aſtronomiæ priſtinæ Profeſſorem, quem è mediâ Germaniâ noſtrâ mutuata eſt Roma, Chriſtoph. Clauium, vt iam morti vicinus, cùm aſtra quæ Galilæus detexit, errantia circa Iouem, cùm Venerem in cornua tabeſcentem, aliaq; noua cerneret, iuberet iam tandem* videre Aſtronomos, quo pacto conſtituendi ſint orbes cæleſtes, vt hæc phænomena ſaluari poſſint: *actum eſſe innuens de veteribus hypotheſibus*.

Ve-

Verùm nemo credet, Clauio morienti mentem adeò motam, vt terram mouere voluerit, qui Clauium nouit: & aliud longè est, existimare aliquid circa eccentricos & epicyclos Ptolemæi turbandum esse, atque integro systemate veteri prorsus distracto, ad Copernicum voluisse transfugere.

Gyrentur enim astra Medicea circa Iouem, Borbonia cum Venere & Mercurio circa solem, non idcircò tamen statim sol in mundi centrum præcipitandus, & tellus subuehenda est in eius locũ. Aliâ viâ fortasse phænomena ista deduci possunt ad veritatem.

Hoc etiam monere oportet. ante paullò Copernicum alios etiam σεσίχθονας fuisse. Nam Nic. Cusanus, S. Petri ad vincula Cardinalis, annis circiter 80. vetustior, *Iam nobis manifestum est*, inquit, *terram istam in veritate moueri, licet nobis hoc non appareat, cùm non apprehendamus motum nisi per quamdam comparationem ad fixum. Si enim quis ignoraret aquam fluere, & ripas non videret, existendo in naui quomodo nauem apprehenderet moueri?* Verumtamen rudia omnia & incondita erant ante Copernicum, quæ edito & Paullo III. Pontifici Max. dedicato, eruditissimo REVOLVTIONVM CÆLESTIVM volumine, circa an. 1540. egregiè composuit & expoliuit. Sententiæ verò suæ, & fidei alienæ tam securus fuit (quidquid hodie quidam, dicis tantùm ergô, & ad ingenij exercitationem, ista scripsisse existiment) vt dicere non vereatur: *Quamuis difficilia sint, ac penè inopinabilia, nempe contra multorum sententiam, in processu tamen, fauente Deo, ipso sole clariora faciemus, Mathematicam saltem artem non ignorantibus.* Et ceteri Copernicani tam sciunt terram moueri & solem quiescere, quàm nomen digitosque suos. Nam Gilbertus sententiam quæ terram immobilem facit, *errorem explodendum, & aniles fabulas spongijs delendas* appellat. Audite etiam alibi eius threnos & lamentationem. *Lamententur & plorent docti*, inquit, *quòd nec superiores Peripatetici vlli, nec ipsi adhuc vulgò philosophantes, nec Io. Costeus qui deridet ista, sapere naturam* (terræ mobilis) *tam nobilem & spectatam potuerint.* Quamquam tamen lamentis istis lepidissimi Poëtæ Ovveni risum non valuerit comprimere. Is enim Epigrammate ad conterraneum suum Gilbertum:

Stare negas terram, nobis miracula narras.
Hæc cùm scribebas, in rate forsan eras.

Keplerum in hanc scenam producere, superuacuum est, cum in

Lib. 2. c. 12 doct. ignorant.

Copernic. lib. 1. c. 10. Reuol.

Lib. 6. c. 3. Magnet.

cap. 5.

totâ Philoſophiâ nihil affirmatiùs, quàm hunc terræ motum, videatur credere, & in omnibus ſuis cometis, ac toto cælo, terrâ, & vbique, clariſſima huius vertiginis indicia putet ſe deprehendere. Imò alibi, quaſi victâ iam aduerſâ parte, & per ſtragem glorioſus incedens, *Hodierno tempore*, inquit, *præſtantiſſimi quique Philoſophorum & Aſtronomorum Copernico adſtipulantur: ſecta eſt hæc glacies, vincimus ſuffragijs melioribus, ceteris panè ſola obſtat ſuperſtitio, aut metus à Cleanthibus.* Ariſtarchis tamen, opinor, dicere voluit, niſi Plutarchus me fallit. Ariſtarchus enim quidam (non ille Samius, quem Archimedes narrat ſuiſſe etiam inter ἐννοσιγαίους) impietatis Cleanthem Samium accuſauit, quòd Veſtam, ſiue terram moueret.

Lib. 1. Epit.

Archimed. in Arenar.

Sed quæ, amabò, illa ſuperſtitio eſt & metus, ab Ariſtarchis impietatis accuſatoribus, qui reliquias Philoſophorum à Copernici ſententiâ abſtinet? Metus, credo, Romani Pontificis, qui, vt mox dicam, non eſt valdè pronus Copernicanis. Talibus verò meticuloſis, & religione, aut naturali hebetudine impeditis, conſilium dat Keplerus. *Qui hebetior eſt*, ait, *quàm vt Aſtronomicam ſcientiam capere poſſit, vel infirmior, quàm vt inoffensâ pietate Copernico credat, ei ſuadeo, vt miſſâ ſcholâ Aſtronomicâ, damnatis etiam, ſi placet, Philoſophorum quibuſcumque placitis, ſuas res agat, & ab hac peregrinatione mundanâ deſiſtens, domum ad agellum ſuum excolendum ſe recipiat, oculiſque, quibus ſolis videt, in hoc aſpectabile cælum ſublatis, toto pectore in gratiarum actionem & laudes Dei conditoris effundatur: certus, ſe non minorem Deo cultum præſtare, quàm Aſtronomum cui Deus hoc dedit, vt mentis oculo perſpicaciùs videat; quæque inuenit, ſuper ijs Deum ſuum & ipſe celebrare poſſit & velit.*

Introduct. ad Martem.

Aut hæc non intelligo, aut vult, ſolos Lutheranos ſuos, aut aut quicumque Fidei Catholicæ obedientiam excuſſerint, Aſtronomiæ vacare, ceteris ad ſtiuam, aut aliò abactis.

Origanus etiam huius terræ motûs tam certus eſt, vt clamet, *Monſtrum mundi fingi ab Ariſtotele, & quotquot ab ipſius pendent auctoritate.*


Epiſt. ad Elect. Brādenb.

Multum tamen ipſe demutat à Copernicanis. Nam alteram veterum quorumdam Pythagoreorum ſectam ingreſſus, terram in centro mundi relinquit, & eam vnico motu diurno, ab occaſu in ortum cottidie reuoluit. vnde motum ab ortu in occaſum omnibus ſideribus adimit, relictis dumtaxat motibus periodicis ab occaſu

caſu

caſu in ortum. Itaque non totus, ſed ſemi tantũ Copernicanus eſt.

Philippus Lanſbergius verò in vicinâ Zelandiâ Miniſter Goeſanus, à Copernico etiam, ſed propiùs abit. Solem immobilem in centro mundi, terram duplici motu, annuo, & cottidiano moueri conſtituit: ſtellis tamen fixis motum proprium in Zodiaco non eripuit. Hęc autem omnia tam *firmâ & euidenti ratione* firmat, vti credit, *vt videas neminem*, ait, *cum ratione ei poſſe contradicere*. Verùm vt tota hæc ſcena meliùs inſtruatur, & faciliùs comprehendatur, oportet ſyſtematis Pythagorico-Copernicani ſchema oculis ſubijcere. Lib de Motu terr. Cõmou. 1.



Hîc inprimis ſolem, publicam mundi lucem, in centro, veluti in mediâ laternâ collocatum vides, radios vndique in peripheriam eiaculantem. Planetas deinde ſingulos ordine ſuo, tamquam ſatellites, ſolem regẽ throno immobili defixum circumcurſantes: proximè quidem & anguſtiſſimo ambitu Mercurium, deinde Ve-

netem, tertiò Tellurem cum pedissequâ Lunâ, quartò Martem, quintò Iouem, sextò Saturnum, vltimò immobilem stellarum fixarum sphæram.

Duo igitur extrema, sol & sphæra fixarum, fixa & immota sunt, cetera omnia in perpetuo motu.

Argumenta quibus hanc mundi imaginem fabricantur Copernicani, nolim vniuersa censendo me delassare: infinita quippe sunt, & *——quod cuique repertum*
Rimanti, telum ira facit, ——
nec fulmine tantùm, sed grandine etiam innoxiâ sæpè pugnant. Delectu igitur vtemur, & exarmare sat erit quæ impressiùs videntur ferire.

Totum porrò fundamentum cui præsens fabrica innititur, est immobilitas solis, & motus annuus terræ circa solem, ac cottidianus circa suum centrum. Si enim sol immobilis est, nullibi concinniùs, quàm in centro defigi potest, nec alibi terra cum pedissequâ suâ lunâ, quàm tertio loco, constitui; quandoquidem certum sit Mercurium & Venerem propiùs abesse à sole, remotiùs verò Martem, Iouem, Saturnum, ac fixas. Totum igitur systema affabrè & optimè se habet, si sol stet, & terra vice eius moueatur. Hoc ergo vtrumq; vt nobis persuadeant, omnibus viribus connituntur.

CAPVT II.

Tribus motibus terram mouent Copernicani. Quibus argumentis adstruant ei νυχθημέρινον, siue cottidianum circa suum centrum.

COpernicani præter motum, quem *accumulationis* vocant, quo terræ partes, & omnia grauia se accumulant & conglobant, circa terræ centrum & in altum proiecta recidunt deorsum, alios tres ei dederunt. Primum cælo primo mobili, alterum soli, tertium stellis fixis ademerunt.

Nam quia primum mobile apparet spatio 24. horarum ab ortu in occasum reuolui, & solem ac vniuersa sidera secum rapere, negant in cælo vllum talem motum esse, sed tellurem, siue totum terrę & aquæ globum, motu contrario, ab occasu in ortum 24. horis circa centrum suum circumagi, ideoque videri solem & reliqua

astra in partem contrariam, ab ortu versus occasum refugere, eo modo quo Virgilianus Æneas, ait Copernicus, terræ & littoribus motum tribuit, qui erat in naui.

Prouehimur portu, terraeq; vrbesq; recedunt. Aeneid. 3.

Et in hoc solo motu Origanus etiam Copernicanis consentit.

Quia deinde sol motu proprio & annuo dicitur Zodiaci eclipticam peragrare, hunc etiam potius credunt esse periodum, quâ tellus sub eclipticâ è regione solis se mouet, & hinc accidere, vt sol moueri, & de signo vno Zodiaci in aliud transire videatur. Cùm enim, inquiunt, terra in Librâ est, sol in opposito Arietis signo esse apparet, & cùm illa ad Scorpium peruenerit, iste (licet immotus) ad Taurum se promouisse videbitur, vt facilè intelliget quisquis terram in præcedenti schemate per circulum circa solem descriptum circumferri cogitabit.

Tertius terræ motus est inclinatio axis, & quædam veluti libratio, quæ supplet vicem aliquot motuum quos alij tribuunt stellis fixis. Sed eam inclinationem axis terræ non omnes vno modo expediunt.

Verùm præcipuus Copernicanorum labor est in firmando cottidiano terræ circuitu circa suum axem: hoc enim euerso, ceteri motus sponte corruunt, vt rectè nuper vidit & dixit Tycho. Si enim terra cottidie non reuoluitur; igitur sol ipsam spatio 24. horarum circuit, vt circumlustrans faciat diem & noctem: vnde ipse non quiescit in centro mundi, sed transfertur de loco ad locum. vnde etiam motus alter annuus sub eclipticâ Zodiaci, nullo negotio ab eo administrari potest: quemadmodum luna, quæ etiam Copernicanorum mente, cottidie terram circumcurrit, motum suum proprium in Zodiaco exequitur, nec indiget vllo menstruo telluris motu, vt ipsa singulis mensibus appareat longitudinem Zodiaci emetiri. Eodem igitur modo neque sol motum telluris desiderabit, vt ipse quotannis videatur percurrere eamdem Zodiaci longitudinem. Hinc tandem præcessio æquinoctiorum, & tota anomalia quam Copernicani inclinationi axis telluris tribuunt, potiùs soli & astris reddenda erit.

Tellurem igitur cottidie ab occasu in ortum circa suum axem spatio 24. horarum conuerti sic demonstrant.

Primò, natura parca est, & superfluorum verens; igitur verisimilius est, terræ corpusculum (sic vocant cæli comparatione)

cottidie

cottidie se reuoluere circa centrum, quàm solem toties maiorem tot prætereà sidera fixa, erratica, & cælestes ingentes capacitatis sphæras, circa terram tam breui 24. horarum spatio raptari.

Hinc nascitur alterum argumentum Gilberto. Si primi mobilis conuexitas, inquit, ad terræ superficiem comparetur, vnâ horâ tantum percurrit spatij, quantum ambiunt 3000. circuli maiores descripti in terræ superficie. *Quæ autem*, ait, *soliditas ferrea tam firma & pertinax fingi potest, vt tanto furore & tam ineffabili pernicitate non disrumpatur & in frusta abeat?* Eadem aut paria exaggerant Keplerus, Origanus, Lansbergius, & alij. Fixa vna in cingulo Orionis iuxta Æquinoctialem, vnico horæ minuto, Germanica milliaria 75079. peruolat, inquiunt: quot ducentis etiam annis non conficiet, qui singulo quoque die decem milliaria fuerit emensus. Quis non absterreatur tamrapidum motum, quem ne imaginatio quidem satis potest assequi, cælis tribuere?

Lib. 6. c. 3. Magnet.

Tertiò, totam mundi compaginem & machinam dissolueret tam insanus cæli motus. *Cur Ptolemaus non vniuersi ruinam, dissolutionem, perturbationem, incendium, cælestes & supercælestes calamitates immensas non veretur, à motu supra omnes cogitationes, somnia, fabulas & licentias poëticas insuperabili, ineffabili, & incomprehensibili?* clamat Gilbertus. Et tandem concludit: *Quare nos diurno terræ rotatu (motu scilicet magis conuenienti) vehimur, & sicut cymba supra aquas mouetur, ita nos cum tellure conuertimur, & tamen stare nobis & quiescere videmur.*

Quartò, motus ille νυχθημερινὸς & cottidianus propter vtilitatem terræ est à naturâ repertus: igitur iustius est, vt terra ipsa de bono & salute suâ sit sollicita, & terga sua cottidie in orbem soli & cælo, ad excipienda irradiationis & influentiarum beneficia, obuertat, quàm vt pigra, deses, bruta, tamquam beneficij contemnens aut negligens, ambiri se à benefico sidere sinat. *Perabsurdum est*, inquit Keplerus, *tantam molem* (solis) *quam etiam perfectiorem terræ globo contendunt Philosophi, propter huius angustissimæ pilulæ figuram (quâ fit vt ipsa solis igne tota frui vnâ vice non possit) tantum iter peragrare circumeundo, cùm terra possit illam hoc onere subleuare, compendiosissimâ volutione sui corpusculi. Perinde enim esset, ac si coquus ineptus carnem veru fixam vertere dedignatus, ignem potiùs circa carnem circulo circumageret.*

Lib. 1. Epit.

Lansber-

Lansbergius aliâ ſed ſimili imagine, negat matres, cùm fouent paruulos ſuos ante focum, ſolere ignem ijs circumferre, ſed potiùs anticam & poſticam eorum partem ei obuertere.

Quintò, Terra, inquit Origanus, ne deſidiâ torpeſcat & in putredinem ſoluatur, motu & agitatione indiget, non cælum, quod incorruptibile eſt, aut ſaltem longiùs abeſt à tali periculo.

Sextò, Et nónne in homine μικροκόσμῳ, ait, mobiliſſima pars, pedes, deorſum ſunt, capite interim ſtabili, ex alto proſpiciente? In magno verò mundo, terra pedes, cælum caput ſunt: quis igitur ambigat, illi motum, huic quietem, à Peripateticis & Ptolemaicis malè ademptam, reddere?

Septimò, Quies nobilior eſt motu, qui neſcio quid ſollicitum, vile & famulare habeat: vnde illa Deo potiùs competit, qui

Immotus, ſtabiliſq́, manens dat cuncta moueri.

Cælo igitur & diuinioribus illis corporibus quietem; terreſtribus & abiectiſſimis motum concedamus.

Octauò, Lucerna in mediâ domo aut templo ſuſpendi ſolet, vt omnia ex æquo illuminet, & radios è centro ſphæræ illuminationis vndique in circumferentiam effundat: igitur ſol, lucerna, mundi, non alibi quàm in centro eius immobilis conſtitui debet.

Nonò, Aut terra circa ſuum centrum, aut ſol circa ipſam ſe vertere cottidie debet: ſed in ſole nulla ſunt huius motus inſtrumenta, ſunt verò in terrâ, ait Keplerus: nempe fibræ quædam magneticæ, quarum aliquæ axi parallelæ ſunt, & protenduntur à Septemtrione in meridiem, retinentque axem terræ in eodem ſemper ſitu; aliæ circulares ſunt, & ab occaſu in ortum circumcurrunt: & & iſtæ vertiginem diurnam 24. horarum efficiunt. Totum igitur telluris corpus ex duplici illo fibrarum rectarum & circularium ſe decuſſantium ordine contexitur. *Exemplum huius fibrarum implexionis*, inquit Keplerus, *non geminæ tantùm, vt hic, ſed planè triplicis habent Medici in ſubſtantiâ ventriculi, qui conſimiliter inter tres illos fibrarum ordines, implexos mutuò, tres ventriculi facultates diſtribuunt, attractricem, retentricem, expultricem.* Lib.1.Epit.

Decimò, Quò ſol eſt propinquior terræ, eò apparet velociùs incitari: huius verò nulla alia promptior eſt cauſſa, quàm quòd ſol perigeus & terræ vicinus, vi ſuâ magneticâ, quâ omnes Planetas ab

occaſu in ortum per Zodiacum impellit, etiam terram excitet, & adiuuet, vt paullò celeriùs cottidianas reuolutiones ſuas abſoluat. Lib. 3. Epit. *Igitur æſtate* (quando ſol apogéus, & remotiſſimus à terrâ) *vna reuolutio durat paullò longiùs*, ait Keplerus, *quàm hieme:* quando ſol perigéus, & ex propinquo magneticam telluris ſe mouendi virtutem ab occaſu verſus ortum magis incitat. Aliàs enim ſi motus iſte celerior non in terrâ, ſed in ſole eſſet, fateri oporteret ſolem à terrâ ab ortu in occaſum raptari; quod incredulum eſt & abſurdum nimis. Introduct. ad Martě. *Valdè igitur veriſimile eſt*, concludit Keplerus, *ibi eſſe fontem motûs telluris, vbi eſt fons motûs reliquorum quinque Planetarum*. Exiſtimat autem *certiſſimâ demonſtratione*, quinque Planetarum, hoc eſt Saturni, Iouis, Martis, Veneris, Mercurij, proprios motus effici à ſole, quem tamquam centrum adſpiciunt: hoc argumento, quòd velociùs moueantur, quò propiùs ad eum acceſſerint. Quia verò difficile videbatur, quâ ratione ſol in centro vniuerſi immotus Planetas iſtos cum terrâ in orbem torqueret, idcircò motum circularem circa centrum ſuum ſoli donat, quo ſe rapidiſſimè ab occaſu in ortum reuoluat, & vnà quinque Planetas terramq́ue (lunam excipit, quam à terra impelli credit) corripiat. Et huius vertiginis ſolis circa ſuum centrum, argumentum nuper è maculis ſolaribus acceſſit, quas corpori ſolis inhærere, cum Galilæo putat, & reuolutione ſuperficiei nunc in oculos venire, nunc abduci.

Vndecimò, Origanus & Keplerus veram, vti imaginantur, Americani maris æſtûs tandem cauſſam repererunt in hoc cottidiano motu terræ. Nam expertum eſt, Oceanum Indicũ faciliùs & proniùs in occidentem quàm in orientem nauigari, quia fluxu perenni, Lib. 1. Epit. & *quauis ſagittâ celeriori* (addit liberaliter de ſuo Keplerus) in occaſum ruit, nullis per immenſam vaſtitatem frænatus littorum repagulis, donec lateri Americæ occurſet, vbi accumulatæ vndæ, & aliquamdiu libratæ, extra Zonam torridam verſus Tropicum Cancri ſe effundunt.

Quænam autem huius rei cauſſa? Partem vnam penes lunam relinquit Keplerus, alteram ponit in *inertiâ naturali aquarum ad motum, reſtitantium in occidente, cùm terra ſe ſubducat in orientem*. Id eſt, mare Indicum à Iaponiâ ad Americam vſque diffuſum, pigritiâ & partim fluiditate aquarum non poteſt pari paſſu ſequi terram circa ſuum centrum ab occaſu, in ortum cottidie

rapta-

raptatam, ideoque deseritur, & refluit versus occidentem, ac littori Americano impactum repellitur obliquè versus Hispaniam. Eadem caussa, putat, littora Perüana maris Pacifici perpetuò nudat, & aquas in Insulas Salomonis & Moluccas abducit, nullo reciproco fluxu. Alibi verò suspicatur hoc aquæ in occasum præcipiti delapsu, Moluccas & quidquid in Oceano illo Insularum est vsque ad Iauas & terram Australem, diruptum fuisse, & cùm anteà perpetua esset continens, in tot fragmina discissam, interfluo iam vbique mari. Introduct. ad Martem.

Duodecimò, Possumus in postremo hoc agmine quædam alia quæ æstimat Lansbergius (alij fortè contemnent) leuiter & in pompam solùm traducere.

Ptolemæus, inquit, concitatissimum motum diurnum donat sphæræ maximæ, id est, primæ mobili, tardissimum verò minimæ, id est sphæræ lunari; cùm tamen secundùm aliam hypothesim, lunaris sphæra motu proprio concitatissimè, octaua stellarum fixarum tardissimè incedat per Zodiacum.

Deinde, vna eademque sphæra, ait, contrarijs simul motibus agitanda erit, quod palàm absurdum.

Denique ἀδύνατον hoc, inquit, statuit Ptolemæus, *Totum moueri, & partem quiescere.* nempe supremam sphæram cum vniuersis quas ambit, mouet motu νυχθημερινῷ, & tamen terram eiusdem sphæræ partem iubet quiescere.

Consentienter istis, *Non iniuriâ quærit Mæstlinus*, ait Keplerus, *quomodo fieri poßit, vt toto mundi systemate circumagitato, nullo eius orbe, non ignis sphærâ (si qua sit) non aëris regione superiore exceptis, hic vnicus globulus* (terræ) *cuius diameter minor vicies millesimâ parte diametri mundi, non vnà circumrapiatur.* Lib.1.Epit.

Hæc ferè sunt quibus diurnum terræ motum, non in dubio aut verisimili, sed in comperto iam ponunt Copernicani. nunc dispiciamus quibus machinis motu annuo eam circumducant circa solem.

CAPVT III.


Quibus argumentis moueant Copernicani tellurem annuo circuitu circa solem.

SI terra solummodò circa suum centrum gyraret, nec de loco in locum per Zodiacum deferretur; solem in centro mundi defixum, semper sub eodem eclipticæ puncto cernerent Copernicani: itaque transferenda est per eclipticam annuo motu, vt sol ex opposito videatur, eodem temporis spatio totam eclipticæ longitudinem circuire. Hunc tamen circuitum, Scripturâ sacrâ, vt inquit, refragante (tanta eum iam subitò incessit religio) abnuit in terrâ esse, & soli restituit Origanus, cottidianâ telluris vertigine contentus. Sed annuum etiam terræ circuitum, & terram reuerà Planetam esse, demonstrant Copernicani,

Primò, quia res iam satis confessa est, omnes Planetas corpora, instar telluris, opaca esse, & à parte solùm obuersâ soli lumen accipere. Olim hoc compertum in lunâ, nuper etiam intelleximus in Venere, quæ beneficio telescopij deprehensa crescere & decrescere instar lunaris disci. Sæpè etiam montes, valles, & infinitas alias asperitates, & varietates in facie lunæ, magnâ voluptate & admiratione aspeximus; vt non omnino vanè quidam olim lunam, terram quamdam cælestem esse sint arbitrati. Quid igitur mirum, si terram nostram, instar simillimæ ei lunæ, dicamus inter Planetas in Zodiaco palari? Et augetur huius rei species, quia Iouem circumeunt quaterni paruuli Planetæ pedissequi, quos Galilæus astra Medicea appellat, incrementa & detrimenta lucis subeuntes lunari ritu, cum quibus tamen medius Iupiter incedit & solem circuit: quídni igitur etiam terram cum pedissequâ suâ lunâ ambulare per Zodiacum arbitremur?

Secundò & longè validiùs: Exploratum iam est, Mercurium & Venerem proximè ambire solem, tamquam motus sui proprij centrum. nam ideò per telescopium toto orbe plena apparet Venus, cùm directa est & remotissima à terrâ, corniculata verò, cùm retrograda & terræ vicinissima. Id verò signum euidens est, eam nunc supra, nunc infra solem esse, vt cernere est in hac imagine.

Ocu-



Oculus enim Venerem ſole altiorem ex ſuperficie terræ ſpectans, totam faciem terris obuerſam à ſole illuſtratam videt, non verò cùm ſole humilior eſt, quia tunc ſolùm particulam lucis, cum parte obſcurâ & à ſole auersâ oſtendit.

Et alterum eius rei indicium eſt, quòd quando facies eius plena eſt, minor appareat, cùm tamen plus habeat luminis: cuius proinde vnica cauſſa eſt, quòd eo tempore ſupra ſolem aſcenderit, & longè remotior ſit à terris.

In Mercurio, propter paruitatem eius & propinquitatem ſolis, difficilius id deprehenditur, tamen ſimile quidpiam ſe notaſſe refert Marius. & nemo vnus eſt, qui hodie dubitet, cùm hæc vnica

ſit ratio, cur Venus & Mercurius tam anguſto interuallo recedant vtrimque à ſole, & anguſtiori Mercurius quàm Venus: quia, inquam, longiùs abſcedere non poſſunt, quàm ſit cicumferentia circulorum ſuorum quibus exambiunt vndique ſolem.

Si verò Mercurius & Venus motus ſuos proprios conuertunt ad ſolem velut centrum (quod ante omnem teleſcopij Belgici inuentionem coniectauit Copernicus, & in ſyſtemate mundi Cap. 1. depicto vides) veri omnino ſimile, ceteros omnes Planetas ſolem etiam vt centrum ſpectare, & reliqua eumdem ordinem habere quem poſuit olim Copernicus, id eſt, ſolem, Planetarum regem in centro vniuerſi ſolium fixiſſe, quod circumludunt, tamquam ſatellites, alij Planetæ. Vnde terram centro vniuerſi eijcere neceſſe erit, & iubenda inter ceteros Planetas in Zodiaco circa ſolem ambulare.

Hinc vbi crementa & decrementa illa lucis, ope teleſcopij, in Venere detexiſſet Galilæus, in Epiſtolâ quadam Italicâ ſcripſit: *Venere neceſſarÿſſimamente ſi volge intorno al ſole, come anco Mercurio, & tutti gli altri Pianeti. Coſa ben creduta da i Pythagorici, Copernico, Keplero, & me: mà non ſenſatamente prouata, come hora in Venere & in Mercurio. Haueranno dunque il Sig. Keplero & gli altri Copernicani da gloriarſi di hauer creduto & filoſofato bene: ſe bene ſi è toccato, & ci è per toccare ancora ad eſſer reputati dal' vniuerſalità de i filoſofi* in libris, *per poco intendenti, & poco meno che ſtolli.*

Quamquam tam propè hæc Latina ſint, vt nullus pænè vſus vertere, ne quiſpiam tamen hæſitet, libet hanc operam ſumere.

Venus, inquit, *circumagit ſe neceſſariò circa ſolem, veluti etiam Mercurius & omnes alÿ Planetæ. Res olim Pythagoricis, Copernico, Keplero, & mihi credita, ſed nondum hactenus ſenſu comprobata, quemadmodum iam in Venere & Mercurio. Habent igitur Keplerus & alÿ Copernicani quod glorientur ſe rectè philoſophatos: licet acciderit ipſis, & adhuc poßit accidere, vt ab ÿs qui tantùm in libris philoſophantur, reputentur ſtupidi, & paullò minùs quàm fatui.*

Tertiò & validiſſimè, In ſentẽtiâ Copernici, vnico terræ per Zodiacum motu, concinniſſimè expediuntur omnes illæ ſtationes, directiones, retrogreſſiones ſuperiorum planetarum, Propter quas Ptolemæus cælum onerauit tam prolixâ epicyclorum ſupellectile. Si enim in ſyſtemate Copernicano Cap. 1. contempleris terram an-

nuo

nuo circuitu inter Planetas circa ſolem incedentem, facilè intelliges, cur Planetæ ſuperiores (quorum motus proprius eſt tardior quàm terræ annuus) aliquando verſus occaſum videantur retrocedere, aliquando ſtare ſub ijſdem fixis, aut inſolenter verſus ortum properare. nam quando nos cum terrâ noſtrâ, quâ vehimur, eos aſſequimur & præteruehimus, videntur retroagi verſus occidentem; paullò verò antè, ac deinde pòſt apparent conſiſtere ſub eodem firmamenti puncto, nec vllum motum proprium habere. Vis huius rei imaginem? Cùm in flumine nauigas, conijce oculos in ripam aliquantulùm antè diſſitam: moueri non apparebit, donec appropinquante & præteruehente naue, manifeſtâ fugâ videatur in contrariam partem abſcurrere. Tunc verò directus fit, & velociùs in orientem aufugere ſub fixis videtur Planeta, cùm iuxta ſolem apparet: quia, etſi ſegniùs in ortum moueatur, quàm terra, propter tamen flexum orbis annui quem terra deſcribit, linea viſualis ſecundæ ſtationis, ſiue ſecundæ diei, quâ oculus è terrâ Planetam ſpectat, cadit in punctum firmamenti orientaliorem, quàm linea viſualis diei præcedentis: vnde videtur ſolito magis feſtinare motu proprio verſus fixas orientales.

Hinc in Aſtronomiâ Copernicanâ, omnes illi Planetarum luſus, propter quos Ptolemæus epicyclos finxit, non veri, ſed apparentes & imaginarij tantùm ſunt.

Hîc etiam licet animaduertere, ait Copernicus, *cur maior in Ioue progreſſus & regreſſus appareat* (quia ſcilicet eſt orbi annuo telluris vicinior) *quàm in Saturno, & minor quàm in Marte: ac rurſus maior in Venere, quàm in Mercurio: quodq; frequentior appareat in Saturno* (nam hunc omnium tardiſſimum terra ſæpiùs in annuo ſuo orbe aſſequitur) *talis reciprocatio, quàm in Ioue, rarior adhuc in Marte & Venere, quàm in Mercurio.* Lib. 1. c. 10.

Iam etiam intelligi poteſt, cur Aſtronomi maiorem Martis quàm Iouis, & Iouis quàm Saturni epicyclum fabricati ſint. Nam oculus ex terrâ, quæ Planetas illos annuo motu præteruehitur, iudicat eos qui propinquiores ſunt velociùs & longiori ſpatio regredi: quo modo ripam fluminis præternauigans, arbores ripæ vicinas exiſtimat celeriùs & longiùs (vltimi horizontis comparatione) in contrarium refugere, quàm alias longinquiores.

Quartò, Solemne eſt vt aſtra maiora, ait Keplerus, ambiantur à minoribus, tamquam reges à ſuis ſatellitibus. Sic aſtra Borbonia,

Mercu-

Mercurius, Venus, Mars, Iupiter, Saturnus, omnes ſole minores, circumſtipant ſolem; ſic aſtra Medicea Iouem, ſic duo ſine nomine (nos Auſtriaca vocemus) Saturnum, ſic luna terram ſe maiorem circumludit. ne igitur lex iſta frangatur, potiùs terra ſolem, quàm iſte, tantò amplior, terram circumcurrat.

Lib.4. Epit. Quintò, *Non decuit*, inquit Keplerus, *vt homo, huius mundi incola & ſpeculator futurus, in vno eius loco, velut in clauſo cubiculo reſideret, ſed in hoc ædificio ampliſsimo, tranſlatione annuâ telluris, domicilij ſui, circumambulare, ſtationes, vt ſolent menſores, diuerſas capere, hoc eſt, ſpatiari debuit, vt ſingula domûs membra tantò rectiùs intueri & dimetiri poſſet.*

Controuerſ.2. Sextò, *Demonſtrationem ſumam*, ait Lansbergius, *à cauſſâ proximâ rei demonſtrandæ, cui, vtpote ſcientificæ, nullâ ratione contradici poterit.*

Sumitur autem hæc cauſſa ex motu lunæ in longitudinem, qui, Ptolemæi & Tychonis teſtimonio, *componitur ex motu in orbe proprio, ſoliſq́; in eclipticâ.* quod verum eſt, ſi tellus vnà cum lunâ longitudinem Zodiaci annuo motu perambulet, falſum autem, ſi terrâ quieſcente, ſol illo motu incedat. Ratio eſt, inquit Lansbergius: quia intereà temporis dum luna à primâ cum ſole coniunctione, emenſis 360. gradibus, id eſt, totâ Zodiaci longitudine, ad eumdem locum redit, ſol (ſi is moueatur) per grad. 29. & ſcr. 6. inde verſus ortum ſe emouerit; ac proinde tot gradibus, luna à ſecundâ coniunctione aberit: igitur totus motus lunæ ab vnâ coniunctione ad alteram non componitur ex motu proprio lunæ & vnâ ſolis; quandoquidem ſol non traxerit ſecum lunam per illos 29. grad. & 6. ſcr. Nam *orbis lunæ circa terram*, inquit, *eſt prorſus immobilis*: eſtque contra Ptolemæi & Tychonis poſtulata, *quòd orbis lunæ ſimul cum ſole circumuoluatur.* Deinde, ait, *quia orbis lunæ idem centrum habet cum orbe ſolis, ſcilicet terræ, centrum, nequit etiam illo ampliùs promoueri. atqui orbis ſolis non mouetur, ſed penitus quieſcit; ergo & orbis lunæ. Accedit & hoc: quòd orbis lunæ longiſsimè diſtet ab orbe ſolis: quem ſi epicycli inſtar ambiret, etiam per eclipticam comitaretur, non aliter quàm quatuor Planetæ Iouiales, quos celeberrimus Aſtronomus Galilæus à Galilæis noſtro ſæculo deprehendit ſimul cum Ioue per Zodiacum moueri. Sed cùm duabus ſphæris ſole ſit inferior, neque cum illo, neque ab illo moueri poteſt.*

Explicat

Explicat deinde, quomodo terrâ Copernicanâ cum lunâ ſub eclipticâ incedente, motus lunæ in longitudinem ex motu in orbe proprio circa terram, & motu terræ ſub eclipticâ, componatur: ita vt eo tempore præcisè, quo luna ſemel circa terram reuoluitur, redeat ad alteram cum ſole coniunctionem. nam ipſa intereà ſimul motu terræ ad grad. 29. & ſcr. 6. in Zodiaci longitudinem promouetur, id eſt, ad quantum ſpatium ſol illo tempore ſub eclipticâ in ortum recedere videtur. *Et hæc eſt demonſtratio noſtra ἐπιστημονικὴ,* ait Lansbergius, *cui nullâ ratione quis contradicat.* Quis rerum cæleſtium ignarus non putet pro Copernicanis debellatum eſſe ab iſthoc Thraſone? Sed reuerà

—— ſcruta quidem vt vendat ſcrutariu' laudat, Lucil.
Præfractam ſtrigilem, ſoleam improbu' dimidiatam.

Sunt enim hæc *σκευάρια κατατετριμμένα*, *ſcruta detrita*, vt infrà oſtendam. Plat. in Alcib.

Vltimò, longè probabilius eſt, motus illos qui immenſæ capacitatis octauæ ſphæræ tribuuntur, in leuem aliquam axis telluris inclinationem referendos eſſe, quàm tantam machinam ob rem tantillam ſollicitare. Quædam prætereà denſâ ſatis grandine ſpargunt & obiectant Copernicani, quæ diduci vix merentur: itaque vniuerſim, & veluti per ſatyram, reijciemus vnico ictu.

Denique, ne à Scripturâ ſacrâ, quâ pars aduerſa maximè fidit, deſeri videantur, audire iubent Pſalten: *A facie Domini mota eſt terra, à facie Dei Iacob.* Et Iobum: *Qui commouet terram de loco ſuo, & columnæ eius concutiuntur.* Qui locus pro motu Copernicano tam eſt euidens, inquit Didacus Aſtunica, vt in totâ Scripturâ pro terræ ſtabilitate diſertior & explicatior nullus. Pſal. 113. Iob 9. Commẽt. in cap. 9. Iobi.

Hoc etiam, dum cogito, rapere poſſunt. Terram ארץ *erets* Hebræis dici à radice רוץ *ruts*, id eſt, *cucurrit*, quo Deus, linguæ Hebraicæ conditor, reuelare fortaſſe ſub nube huius nominis, myſterium hoc Copernicanum voluit.

CAPVT IV.

Censura S. Congregat. Cardinalium aduersus Copernicanos. Et Historia Zachariæ Papæ & Virgilij Salæburgensis Episcopi diffusè pertractata, quâ contendunt, in damnatione antipodum errauisse Pontificem.

OMnibus tamen istis munimentis non valuit protegi sententia Copernicanorum, quin à S. Congregatione quinque Cardinalium qui Indici librorum præpositi, anno CIↃ. IↃC. XVI. hoc vulnus acceperit.

Quia ad notitiam sanctæ Congregationis peruenit, falsam illam doctrinam Pythagoricam, diuinæq; Scripturæ omnino aduersantem, de mobilitate terræ, & immobilitate solis, quam Nicolaus Copernicus, de Reuolutionibus orbium cælestium, & Didacus Astunica in Iob etiam docent, iam diuulgari, & à multis recipi, sicuti videre est ex quadam epistolâ impressâ cuiusdam P. Carmelitæ, cuius titulus: Letera del Reu. Patre Maestro Paolo Antonio Foscarini Carmelitani, sopra l'opinione d'i Pythagorici, è del Copernico, della mobilità della terra è stabilità del sole, è nouuo Pythagorico systema del mondo. In Neapoli, per Lazaro Scoriggio, anno 1615. *In quâ dictus Pater ostendere conatur, præfatam doctrinam de immobilitate solis in centro mundi, & mobilitate terræ, consonam esse veritati, & non aduersari sacræ Scripturæ: ideò ne vlteriùs huiusmodi opinio in perniciem Catholicæ veritatis serpat, censuit dictos Nic. Copernicum de Reuolut. orbium, & Didacum Astunicam in Iob suspendendos esse, donec corrigantur. Librum verò P. Paulli Foscarini Carmelitæ omnino prohibendum, atque omnes alios libros pariter idem docentes prohibendos: prout præsenti Decreto omnes respectiuè prohibet, damnat, atque suspendit. In quorum fidem præsens Decretum manu & sigillo Illustrissimi & Reuerendissimi D. Cardinalis S. Cæciliæ Episcopi Albanensis signatum & munitum fuit. Die V. Martij anno* CIↃ. IↃC. XVI.

In hoc Decretum aspiciebat nuper Lotharius Sarsius, cùm diceret, Copernicanum terræ motum *nobis Catholicis nullâ ratione permitti.* Ad quem Keplerus, atrâ

Pers. *Bile tumens, quam non extinxerit vrna cicutæ:*

Prauam,

Prauam, vel querelam, si rectè, vel seruitutem, si malè. Miseram imò conditionem rerum tempori subiectarum, quæ diuellit inter se cohærentia penitusq́; connata. Nam Catholico certè Copernico cùm ad Paullum III. scriberet, mihiq́; cùm anno 1604. & 1605. imitarer, nullâ ratione interdicebatur. Sed doceat suam Perillus mugire bouem. & nisi me fallit coniectura, formidat Sileni, quam pinxit ipsa minio inepta Aegle. Append. ad Hyperasp.

Intelligat qui potest, ego, opinor, non malè. De Perillo tamen subdubito, an tam animosus σεισίχθων *Terræ motor* Keplerus, vt in boue eius torreri malit, quàm non mouere. Certè, si hoc velit, ego hypochondrijs eius malè metuo. Et (vt ioci vnius gratiam faciat) videat, ne in se competat istud D. Nazianzeni: Ἡ αὐτὴ γῆ ἕστηκε μὲν τοῖς ἐρρωμένοις καὶ οὐ πεπονθόσι, κινεῖται δὲ τοῖς ἰλιγγιῶσι καὶ περιστρεφομένοις, *Eadem terra sanis & mente minimè læsis stat immobilis, mouetur autem ijs qui laborant vertigine & circumaguntur.* Quis enim sanus malit vitam, quàm opinionem deserere? Pro fide Catholicâ libenter illam ponam, pro vertigine telluris, vertiginosus sim, nisi mauelim retinere. Orat 14.

Verùm sat scio, quid hîc Cardinalitiæ, imò Pontificiæ auctoritati reponent, qui religionis sequiores sunt. Nempe Zachariam Rom. Pontificem olim errauisse in re aliâ, sed simili, naturali. damnauisse enim Virgilium Salæburgensem Episcopum, quòd antipodas asseruisset, contrarijs nobiscum pedibus terram calcantes: quales tamen iam in mundo esse, tam compertum est, quàm Hispanos & Hollandos in Indias nauigare. Si igitur in antipodum Philosophiâ ipse Pontifex aberrare à vero potuit, quodnam, obsecro, piaculum est, si Cardinales in systemate Copernicano nuper fuisse allucinatos existimemus? Et excusant, quòd non huius sacri tribunalis, sed Philosophici pulpiti, rerum naturalium cognitio sit.

Sed de Zachariâ & Virgilio Copernicanos ipsos audiamus. *Nónne Tertulliano* (Lactantio, opinor, dicere voluit) *& Augustino*, inquit Keplerus, *nimiùm sapere visi sunt, qui antipodas esse docuerunt? Et fuit quidem Virgilius Episcopus Salisburgensis ab officio deiectus, quòd id esset ausus asserere. Quoties Romani Philosophos vrbe eiecerunt? & id quidem moribus illis suis antiquis, quibus res stabat Romana.* Epist. ante lib. 4. Epit.

Et Origanus *ex Annalibus præstantißimi* (sic vocat) *& fidelißimi* Epist. ad Elect. Brandenb.

C 2 *Boiorum*

Boiorum ſcriptoris, *Ioannis Auentini*, narrat ob aſſertos antipodas, Virgilium à Bonifacio Epiſcopo Moguntino, apud Vtilonem Boiorum (ij hodie Bauari) Regē, ac tandem apud Zachariam circa annum Chriſti 745. Rom. Pontificem, fuiſſe accuſatum. *qui ſanè*, addit Origanus, *Virgilium noſtrum* (quia, credo, Aſtronomiâ & Mathematicis Origano cognatus aut affinis fuit; nam patriâ Hibernus erat) *communi calculo damnarunt, à Sacerdotio, templo, & Eccleſiâ depulerunt*. Eadem, & ab eo Lanſbergius, qui ait, Theologos opinionem antipodum *damnare hæreſeos, & eò temeritatis peruentum anno 745. referente Auentino celebri Hiſtorico*, vt damnationem Virgilij illius Epiſcopi Salæburgenſis Zacharias fuerit auſus.

Sed antequam hîc decernamus, *fideliſſimum* illum Origani, & *celebrem* Lansbergij teſtem, Auentinum ſuo, non laudatorum, ſtilo loquentem lubet audire. *Erat*, inquit, *Virgilius etiam in diſciplinis quas Mathematicas vocamus, & in Philoſophiâ profanâ magis, quàm tum Chriſtiani mores ferebant, eruditus. Ex illiuſmodi litterarum ſcitis, contra opinionem vulgi, & D. Aurelij Auguſtini & aliorum, fortè docuerat, id quod noſtro ſæculo non argumentis inueſtigandum, ſed experimentis cognitum eſt, circumfundi terræ homines vndique, & conuerſis inter ſe pedibus ſtare, vnde antipodas Græcâ nuncupant voce. Hoc ita acceptum eſt, quaſi Virgilius alium mundum, alios ſub terrâ homines, alium denique ſolem, atque aliam lunam eſſe aſſereret. Bonifacius hæc velut impia, & Philoſophiæ diuinæ repugnantia refutat, Virgilium publicè, priuatim arguit, ad recantandum has nænias prouocat, efflagitatq́; iure ſuo vt Legatus Germaniæ* (talis enim Bonifacius, & eius ſucceſſores, paullò antè erant à Zachariâ deſignati, veluti etiam Archimyſtæ regni Franciæ perpetuò declarati, & Moguntia per Carolomanni & Pipini legem, Francorum & Germaniæ conſtituta metropolis, vt ſuprà narrauit Auentinus) *ne ille huiuſmodi deliramentis ſinceram & ſimplicem Chriſti ſapientiam polluat atque contaminet. D. Virgilius* (ſanctus enim, vti & Bonifacius, fuit) *vt omnes homines ſumus, & nihil eſt ex omni parte beatum, hac iniuriâ ac contumeliâ laceſſitus, animum Vtilonis Reguli Boiorum, apud quem plurimum valebat, abalienare à Bonifacio, atque inter eos diſcordiam & odium ſerere conatur. Iactabat etiam ſe à Rom. Pontifice deſignatum Epiſcopum, qui primus ex his quatuor quos Bonifacius Boijs conſecrarat, deceſſiſſet. D. Bonifacius id Zachariæ Pontifici Max. litteris conqueritur. Zachariæ*

Auent. lib. 3. Annal. Boiorum.

chariæ quoque Philosophia Virgilij suspecta esse cæpit. Ipse igitur Legatos cum mandatis & litteris ad Vtilonem ire iubet, partes suas Bonifacio commendat. Virgilium Philosophum (si Sacerdos sit, inquit, *nescio) ab templo Dei & Ecclesiâ depellito, Sacerdotio in Concilio abdicato, si illam peruersam doctrinam fuerit confessus. Sidonio quoque* (hic Virgilij socius, & cum eo ad Euangelij prædicationem in Boiariam venerat) *& Virgilio comminatorias scripsit litteras Rom. Episcopus, postulauitq; vt Bonifacio obsequantur. Insuper Regulo Boiorum denuntiatum est, vt Virgilium Romam mittat, vbi Virgilius rationem reddat, ac à Pontifice Rom. examine comprobetur.*

Hæc tam diffusè placuit transscribere, ne ab historiâ istâ veteris & fusci æui aliquis veritati fucus factum iretur, & quia Auentinus vulgò (imò, vt videtur, Card. Baronio, qui nihil hîc ab eo meminit) ignoratus. Superiora autem retractando, nullam video in ijs Zachariæ definitionem, nullum Fidei articulum: imò nouissima ista verba, quibus imperat, aut rogat, Virgilium mitti Romam ad dicendam caussam, apertè indicant, ad sententiam decretoriam nondum esse peruentum. & Epistola Zachariæ ad Bonifacium apertissimè: *Nos scribentes prædicto Duci* (Vtiloni) *euocatorias de prænominato Virgilio mittimus litteras, vt nobis præsentatus & subtili indagatione requisitus, si erroneus fuerit inuentus, canonicis decretis condemnetur. qui enim seminant dolores, metunt eos.* Apud Baron. tom. 9. ad an. 748.

Animaduerto deinde, quæ de antipodibus verissimè dicta à S. Virgilio, aucta postmodum ab indoctis auditoribus, & accepta, quasi alium ex asse mundum, alium solem, aliam lunam, & alia omnia sidera voluisset condere: quod hæreticum, aut illi proximum est.

Vnde non antipodes seorsim reiecti à Pontifice, sed alius mundus & alij homines in eo sub terrâ nostrâ, cum sole suo alio & lunâ.

Si igitur hîc peccatum est, à S. Bonifacio fortasse factum, qui perperàm Pontifici interpretatus S. Virgilij mentem. Sed hunc etiam culpâ liberat Velserus mecum, conijcitque in auditorum malitiam aut stuporem totam.

Quod quidam, inquit, *coniecère, non abnuerim: Virgilium de terræ specie acutiùs, quàm pro vulgi captu, disputasse, globosam esse, & viuere è contrariâ parte, qui aduersis vestigijs contra nostra vestigia, quos antipodas vocemus. hos perinde ac nos sole & lunâ lustrari. Ea ignoratione audientium perperàm accepta detortaq;, lon-* Velser. lib. 5. Boicarum.

ge alio sensu ad Bonifacium perlata, offensionum præbuisse sementem.

Præcesserant autem, vt idem Velserus narrat, & ex Epistolâ Zachariæ ad Bonifacium liquet, irarum aut mutuæ refrigerationis inter illos sanctos aliæ caussæ. Quòd videlicet Bonifacius iterandum eorum Baptismum contenderet, quos Sacerdos linguæ Latinæ ignarus, *In nomine patria, & filia, & spiritua sancta*, baptizasset: negarent verò Virgilius & Sidonius, reque ad Pontificem Zachariam delatâ, secundùm istos potiùs, reiectâ molliter S. Bonifacij sententiâ, Pontifex pronuntiasset, vt patet ex Decreto, quo partem illam Epistolæ Zachariæ ad Bonifacium transtulit Gratianus.

Dist. 4. can. 86. de Consecrat.

Hac igitur, & id genus de caussis, *discordia inter Bonifacium & Virgilium gliscebat*, ait Velserus, *improbis pessimorum hominum rumoribus excitata auctaq́; tantò nimirum faciliùs, quod Moguntiaci vnus Episcopus, alter apud Boios, procul agerent. suffundit enim vires calumniæ, longinquitas. Bonifacius Zachariæ questus, responsum sibi honorificum* (in disceptatione antipodum) *in aduersarium, asperum abstulit. Ceterùm Pontifex se Virgilium euocaturum, coràm de caussâ cogniturum ostendit.* Et adijcit deinde: *Disceptationis exitum non comperio. Fit verisimile, aut purgasse se Virgilium Pontifici, siue coràm, siue per litteras: aut cognitis inuidorum vtrimque fraudibus (nam quâ Virgilius animi probitate & vitæ sanctimoniâ fuit, quæ Bonifacio renuntiata neque dixisse, neque fecisse potuit) vltrò, quod inter bonos solet, in gratiam esse reditum. Sanè Bonifacius toto deinde septennio superfuit, neque istius tamen dissensionis præterea vestigium apparet.*

Hoc etiam ex longâ illâ Epistolâ Zachariæ ad Bonifacium, & illius æui historiâ didici. Magnum examen virorum eruditorum ex Britanniâ & Hiberniâ (vbi tunc Litteræ sacræ, profanæ in magno flore & famâ, in Academijs, id est, Benedictinorum Monachorum monasterijs, erant) in Gallias & Germaniam (ac inter eos Ven. Bedam, Virgilium, Sidonium, aliosque) ad Euangelium, & litteras disseminandas effusum. In quibus scioli quidam & litteriones, vt nomen & famam sibi facerent, Christianam doctrinam falsis quibusdam dogmatibus adulterabant. Inter eos Sampson ille Scotus, de quo Zacharias ad Bonifacium:

Scripsit quoque inter cetera Reuerenda fraternitas tua, reperisse quemdam Presbyterum genere Scotum, nomine Sampson, errantem à

viâ

viâ veritatis, dicentemq́; sine mysticâ inuocatione, aut lauacro regenerationis posse fieri Catholicum Christianum, per Episcopalis manus impositionem.

Ex quibus facilis iam æstimatio est, cur pronioribus auribus excipere potuerit S. Bonifacius quæ falsa de altero mundo vulgò ferebantur, tamquam à S. Virgilio asserta.

Quam verò tandem, quæso, laureolam in hoc sui Auentini mustaceo, aduersus definitiones Pontificias in quæstionibus naturalibus, repererunt Copernicani? Antipodas enim alio mundo inclusos, quos alius sol, alia luna, aliud cælum illuceat, reiecit Zacharias, & *peruersam doctrinam* (qualem etiam non infitebuntur Copernicani) appellauit. Depulsum verò Sacerdotio & Ecclesiâ Virgilium, fallitur & fallit Origanus. *Virgilium Philosophum,* inquit Pontifex, *à templo Dei & Ecclesiâ depellito, Sacerdotio in Concilio abdicato, si illam peruersam doctrinam fuerit confessus,* vt scribit Auentinus. Vel, vti ipsa ad Bonifacium Zachariæ Epistola, *De peruersâ doctrinâ, quam contra Dominum & animam suam locutus est (quòd scilicet alius mundus, & alij homines sub terrâ sint, aliusq́; sol & luna) si conuictus fuerit ita confiteri, hunc, accito Concilio, ab Ecclesiâ pelle, Sacerdotij honore priuatum.*

Rem autem istam ad executionem peruenisse, nullibi legit vmquam Origanus: & omnino apparet, totam hanc nubem discussam fuisse, vbi data Virgilio copia se Bonifacio explicandi. Quid autem putas in excusationem attulisse? Aliud nihil, sine dubio, quàm suæ & veræ Philosophiæ explanationem. Non doceri à se alium mundum, alium solem & cælum; sed hunc latius coli, quàm vulgò putetur, trans Æquatorem & Torridam, temperatam aliam Zonam esse, in quâ homines simillimâ cæli nostratis temperie vtantur, qui in nocte nostrâ, die, in hieme æstate fruantur. Quibus Bonifacium & Zachariam acquieuisse, satis inde intelligitur, quòd res hîc steterit, nec quidquam vltrà in Virgilij doctrinam sit anquisitum. Sed, vt liberalissimi simus, demus sane Keplero, Origano, Lansbergio, Zachariam cum D. Augustino & Lactantio existimasse, nullos esse antipodas, & idcircò vindicatum fuisse in Virgilium: quodnam tamen hîc ostendere possunt Romanæ Sedis Decretum? Fatemur omnes, Pontificem sub illâ Dignitate veterem hominem retinere, neque omnes opiniones falsas, quæ ei inter studia vitæ antecedentis forte adhæserunt,

protinus

protinus exuere. Fefellerint igitur eum D. Augustinus & Lactantius, & errore isto armatus Virgilium durius oppugnauerit: nihil tamen, vt Pontifex, Catholicâ fide credendum Ecclesiæ, latâ lege proposuit. imò statim pòst ait, se per Vtilonem Boiariæ Ducem, Romam euocasse Virgilium, *vt præsentatus & subtili indagatione requisitus, si erroneus fuerit inuentus, canonicis decretis condemnetur.* Igitur canonicæ in eum condemnationis non tulit, sed distulit Decretum. Quod vel inde patet, quia nemo Catholicorum ex sententiâ illâ Zachariæ qualicumque in Virgilium latâ, ostendere conatur, opinionem Philosophorum statuentium alterum mundum extra totum complexum huius, esse hæreticam.

Quid igitur mussat Lansbergius, dum ait, sententiam antipodum à Theologis hæreseos esse damnatam? Quinam illi? veteres, an nouitij? Nullus enim mihi suspectus iam in mentē venit, præter D. Augustinum & Lactantium; qui tamen etiam longissimè absunt, vt opinionis diuersos de hæresi suspectent. Imò D. Augustinus totum vndique terræ globum circumcoli posse non negat, sed
Lib. 16. c. 9 Ciuit. *absurdum esse* solùm credit, *dicere aliquos homines ex hac in illam partem, Oceani immensitate traiectâ, nauigare ac peruenire potuisse.* Dubitat deinde, an *ex illâ parte, ab aquarum congerie nuda sit terra:* quod plurimi etiam Astrologi ante sæculi elapsi experientiam censuerunt.

Lib. 3. c. 23. Instit. Lactantius verò longiùs extra verum abiuit: sed de hæresi etiam, ne γρῦ quidem. Solùm Philosophos deridet, qui *pendulos istos* (vti vocat, & futurum credebat) *antipodas*, terram ex aduerso recalcantes constituebant; imaginatione ridiculâ, & si-
Lib. de Circulo lunæ. millimâ delusus, quâ Plutarchus putauit eos *ὥσπερ γαλεῶτας, instar felium,* vnguibus terræ globo oportere suspendi.

Sed hoc ferè fugerat dum in alijs distringor. Io. Auentini, inquam, fides & auctoritas, quas tam altè extollit Origanus. Nam Annales, non ipse, anno CIƆ. IƆ. XXXIV. præmortuus, sed Hieronymus Zieglerus, Poëseos in Academiâ Ingolstadiensi professor, anno CIƆ. IƆ. LIV. edidit, cum hoc elogio: *Multa, sine dubio, emendasset Auentinus, pleraque forsitan mutasset etiam, si per fata licuisset.* Ac deinde, *Inuectiuas quasdam contra Ecclesiasticas personas, item fabulosas narrationes, nihil quidquam ad historiam facientes, non fraude, sed iudicio à se omissas* dicit Zieglerus. Liberrimæ enim linguæ (hæreticæ, dicere non ausim, neque puto) &

planè

planè Erasmicæ in Monachorum & Ecclesiasticorum vitia, fuit Auentinus: *plus etiam nimio fauens schismaticis, & parum integrâ fide res Rom. Pontificum prodidisse* perhibetur, ideoque meruit in classe Auctorum *cautè legendorũ* ab Indice expurgatorio recenseri. Index libr. expurgat.

Tam debilis igitur & fluctuans Auentini fides ad rem tantam stabiliendam non sufficit, etiamsi maximè assereret (quod tamen non facit) quæ loqui eum inuitum iubent Origanus & Lansbergius. Fixum igitur permaneat, non Zachariam, non alium quemquam Rom. Pontificum, in decernendâ propositione Fidei, quæ quæstionem naturalem tangeret aut alluderet, vnquam errauisse.

Sed res istæ Physicæ extra forum & cognitionem Pontificis sunt, mussitant, vt audio, inter se Copernicani. Falluntur. Quid enim si per latum Scripturæ sacræ campum dispersæ sint, non poterit supremus Interpres verum earum sensum interpretari? Si tu res naturæ ei eximas, alius rem historiæ, tertius aliud quidpiam excipiet, & sic nullius certæ rei certum penes ipsum iudicium erit: vbique enim ferè licebit ambigere, an id in forum eius & interpretationem cadat. Audiamus igitur nos saltem Catholici S. Synodi Tridentinæ Patres.

Sacrosancta Synodus, inquiunt, *ad coërcenda petulantia ingenia, decernit, vt nemo prudentiæ suæ innixus, in rebus Fidei, & morum ad ædificationem doctrinæ Christianæ pertinentium, sacram Scripturam ad suos sensus contorquens, contra eum sensum, quem tenuit & tenet sancta mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu & interpretatione Scripturarum sanctarum* (in omni videlicet vniuersim materiâ, quam Spiritus sanctus stilo suo complecti aut intercipere voluerit) *aut etiam contra vnanimem consensum Patrum, ipsam Scripturam sacram interpretari audeat: etiamsi huiusmodi interpretationes nullo vmquam tempore in lucem edendæ forent. Qui contrauenerint, per Ordinarios declarentur, & pœnis à Iure statutis puniantur.* Trid. sess. 4

Quid igitur censes? inquies: an Copernici sententiam, præsertim post Cardinalium censuram, in hæresim prolapsam esse? Rem satis fortè perplexam vis à me dissolui. Sed tam citò & perfunctoriè fieri non potest. Hoc igitur Caput diffindamus.

CAPVT V.

An hæretica hodie censeri debeat sententia Copernici.

Serar.in c.10.Ios. DVriter quidam hodie de Copernicanis censent, & hæreticos palàm appellitant. *Est Copernicus ceterà quidem nobilis Mathematicus*, ait sacræ Scripturæ Interpres non ignobilis, *meritoq́; laudatus: sed cùm aliæ, tum hæ potißimùm duæ ipsius hypotheses ab omnibus exploduntur* (quàm tamen hoc falsò, intelligis ex præcedentibus.) *Prior: Solem esse mundi centrum. Posterior: Terram esse in quinto cælo* (in quarto, opinor, dicere putauit) *cum orbe lunari, sub Saturno, Ioue, Marte, supra Venerem & Mercurium, ipsumq́; adeò solem: epicyclo infixam* (hodie tamen Copernicani, qui Planetarum spatia liquentia & fluida faciunt, omnes epicyclos destruxerunt) *motu cieri triplice. Licet verò suas istas Reuolutiones, vt reprehensionem omnem effugeret, Pontifici dedicarit Max. Paullo III. hæ tamen hypotheses, si tamquam veræ seriò assererentur, non video quemadmodum ab hæresi esse possent immunes. Semper enim Scriptura terræ quietem, & soli ac lunæ motum tribuit: aut si quando ea quiescant sidera, magno id fieri miraculo significat.*

Tanner. tom.1.d.6. q.4.dub.3. Alij, etsi molliùs anteà fortasse locuti, post Congregationis tamen Cardinalitiæ iam censuram, sententiam Copernici *damnatam, nec tutò posse ampliùs defendi* affirmant.

Mersen. c.1.vers.10 q.9.a.6. Gen. *Cùm Scriptura sacra*, inquit alius, *contrarium* (sententiæ Copernici) *tam clarè innuat, contraria sententia, vt verior, & ab omnibus ferè recepta, sequenda est: quæ asserit terram esse stabilem, cælos verò seu sidera moueri; adeò vt quis opinionem illam temerariam meritò iudicare posit: maximè cùm viderim in eâ sententiâ Cardinalium Congregationem versari.*

Et ne putent Copernicani, solos Monachos & Catholicos scrupulum & religionem hîc inuenire, audiant hunc hominem minimè scrupulosum, & quem alicubi memini dixisse, *Cælum empyreum à Scholasticis & otiosis Monachis esse excogitatum*. (Lib.3.c.3. Enchirid.) Gaspar Bartholinus, Philosophus & Medicus Danus is est. Iste tamen posteà tam est religiosus, vt Copernico stomachabundus, *Scriptura sacra*, inquiat, *terram quiescere & non moueri asserit dictis clarioribus, quàm vt ad cuiusuis cerebrum flecti inuertiq́; poßint aut debeant.* (Lib.4.c.3.)

Quid

Quid Tycho, quem Princeps hodie Copernicanorum Keplerus toties magiſtrum ſuum appellat? Exiſtimat & clamat palàm, *Copernicum non ſolùm Phyſices principijs, ſed etiam auctoritati ſacrarum Litterarum, aliquoties terræ ſtabilitatem confirmantium, refragari.* Lib. 2. Comet. 1577. c. 8.

Nic. Mulerius, Medic. Doctor & Gymnaſiarcha Leovvardianus, *Teſtamur*, ait, *tantam apud nos eſſe auctoritatem Scripturæ ſacræ, tantumq; reuerentiâ eius moueri animum noſtrum, vt contra apertam ſententiam illius, in ſententiam Pythagoreorum deſcendere non audeamus.* Iſag. Tab. Friſic. c. 1.

Claude nobis hoc agmen Rabbi Io. Bodine. *Quòd ſi Hebræorum arcana & adyta ſacra ſcrutemur, erit vnde demonſtrationes ſuperiores facilè confirmari poſſint. Nam cùm ſapientiæ magiſter Eccleſiaſtes, ſolem ab orientis plagâ ad occaſum rapidiſſimo curſu ferri dixiſſet, ſubiecit illud: Terra verò ſtat æternùm.* Lib. 5. Theat. Eccle. 1. Pſal. 18.

Non magnopere tamen curare iſta viri quidam in Italiâ, Galliâ, Germaniâ, Belgio, eruditi etiam & Catholici, videntur, qui etiamnum ſedulo & omnibus ſuis motibus tellurem verſant: quia, opinor, Cardinalitiam in definitionibus poteſtatem, ſummam & Pontificiam eſſe negant, & tantiſper, donec iſta acceſſerit, ſatis tutos ſe, & extra hæreſeos notam eſſe exiſtimant. Scripturas etiam, quæ videntur telluri quietem, ſoli motum aſſerere, retinent vtcumque & defenſitant tenui loquendi alibi Scripturæ ſimilitudine. Vt, quòd Moſes ſolem & lunam *duo luminaria magna* appellet, quia nobis talia apparent, cùm luna tamen multis reuerà ſideribus ſit minor: aliaque id genus cumulant, quæ ſequentibus Capitibus arbitrabimur. Gen. 1.

Vix etiam hoc poſſumus diffiteri. Si Deus iuxta ſyſtematis Copernicani imaginem mundum condidiſſet, & terra nullo noſtro (vt volunt) ſenſu volueretur, quieſcente ſole, futurum fuiſſe, vt vulgus de ſolis motu & terræ ſtatu perinde vt nunc loqueretur. Si enim nullo ſe indicio prodit terræ mobilitas aut quies ſolis, non affirmabunt moueri quod credunt quieſcere, nec quieſcere quod arbitrantur moueri. Quemadmodum, ſi homines in nauibus tranquillâ & æquabili nauigatione motum ſuum celantibus nati linguam ſibi conderent, ripas fortaſſe fluminum accedere & recedere paſſim dicerent, ſe verò quiete perpetuâ ſtabiles eſſe. Hæc tamen Copernicanos ſatis tutos præſtare non valent. Nam inprimis

S.Congregatio illa Cardinalium videtur ſua decreta auctoritate Pontificiâ condere, & ad eum referre antequam edantur. Sixtus enim Papa V. in Diplomate, quo XV. illas Romæ Congregationes Cardinalium anno CIↃ. IↃ.LXXXVIII. inſtituit, aut nouis facultatibus auxit, expreſſe de hac Pro Indice librorum Congregatione, ait: *Libros Catholicæ doctrinæ Christianorumq́; morum disciplinæ repugnantes expendant & recognoſcant, ac (vbi nobis retulerint) noſtrâ auctoritate reÿciant.*

Bulla erectionis Congregat. Cardinal. apud Quar.

Itaque decreta iſta Cardinalitia videntur, poſt examen in Congregatione perpetratum, ad cognitionem Pontificiam deferri, & ab eâ auctoritatis plenitudinem accipere. Quod etiam ex erectione Congregationis Pro typographiâ Vaticanâ intelligi poteſt. *Si quæ verò grauiores dubitationes & difficultates*, inquit Pontifex, *in veterum codicum auctoritate, librorum correctione & emendatione inciderint, rebus priùs in Congregatione examinatis, ad nos referant, vt in lectionum varietate id quod orthodoxæ veritati maximè conſonum erit, ex ſpeciali Dei priuilegio huic ſanctæ Sedi conceſſo ſtatuamus.*

Ex more igitur iſto, & decretorum, poſt examen, ad Sedem Pontificiam relatione apparet, Congregationes iſtas, licet ſuo ſententias ferant nomine, maiori tamen & Pontificiâ animatas eſſe auctoritate; vnde non ſolùm Cardinalium, ſed etiam Pontificis Paulli V. manus hoc fulmen in Copernicanos iecisse: *Falſam eſſe illam doctrinam Pythagoricam, diuinæq́; Scripturæ omnino aduerſantem.* Item deinde: *Opinionem eſſe, quæ in perniciem Catholicæ veritatis ſerpat.*

Si igitur vera eſt ſententia, quâ omnes iam paſſim Catholici (etſi Gerſon, Almainus, ac vetuſtiores aliquot, Galli præſertim, aliter) cenſent, Pontificem ſine Concilio generali è Cathedrâ decernentem, non poſſe in errorem labi, actum de Copernico, & paradoxum eius (vt molliſſimè dicam) temerarium, & proximum hæreſi, imò intra ipſam eſſe videtur.

Ita ſeuerus aliquis cenſeat. Veruntamen dum perpendo quàm circumſpecti & minimè præcipites in rebus Fidei è Cathedrâ decernendis Pontifices eſſe ſoleant, & ſuo deinde, non alieno nomine capitalia iſta decreta condere, ac cùm in Diplomate Congregat. pro interpretatione & executione Conc. Tridentini, expreſſè Sixtus V. dicat: *Eorum decretorum, quæ ad Fidei dogmata pertinent, inter-*

interpretationem nobis ipsis reseruamus, lenienda paullisper censura videtur, & sacræ Congregationis pro Indice librorum auctoritatem, non parẽ, sed supparem tantùm Pontificię, existimare par est.

Itaque Copernicum apertæ hæreseos condemnare nondum ausim, nisi à Capite ipso Ecclesiæ Catholicæ expressiùs aliud videam: nam Scripturæ sacræ auctoritatem, licet imbecilliter, vtcumque tamen defensitant. Temeraria nihilominùs, vt minimùm, est Copernicanorum opinio, & altero saltem pede intrauit hæreseos limen: nisi sanctæ Sedi aliter visum.

CAPVT VI.

Scriptura sacra oppugnat Copernicanos: quam frustrà conantur eludere.

NOn solùm humanis armis, sed diuinis fortissimè repelluntur, nec desinunt tamen Orbem terræ in cælum torquere gigantes Copernicani. Ne quis enim eos impietatis arcessat, ipsi non Spiritum sanctum mendacij, sed eius interpretes vanitatis accusant.

Rex Psaltes primum in eos iaciat telum. *Ipse* (sol) *tamquam sponsus procedens de thalamo suo. Exultauit vt gigas ad currendam viam, à summo cælo egressio eius.* Vbi δραμεῖν ὁδὸν, *currere viam,* & ἔξοδος αὐτοῦ, *egressio eius,* vt Septuaginta consentienter Hebræo verterunt, motum solis, ex quo terræ stabilitas sequitur, significant. Pulchrè, vt solet, Nazianzenus: Ἥλιος ἐπαινεῖται παρὰ τῷ Δαβὶδ κάλλος καὶ μέγεθος, καὶ δρόμου τάχος, καὶ δύναμις, λάμποντος ὡς νυμφίου, καὶ μεγέθους ὡς γίγαντος. οὗ καὶ τὸ πολὺ διαβαίνειν, ἔχει δύναμιν τοσοῦτον, ὡς ἀπ' ἄκρων τὰ ἄκρα ἰσοτίμως καταφωτίζειν, καὶ μηδὲν ἐλαττοῦσθαι τῆς θέρμης τοῖς διαστήμασι. *Laudatur apud Dauidem solis pulchritudo, magnitudo, celeritas cursus, agendi facultas, qui vt sponsus fulget, magnus vt gigas. qui longè lateq; progrediendo vim tantam habet, vt ab extremis extrema æqualiter illustret, nec locorum interuallis ipsius feruor diminuatur.*

Psal. 18.

Orat. 20.

Non æstimat tamen hæc Keplerus. *Sol,* inquit, *ex tabernaculo horizontis dicitur emergere, vt sponsus de thalamo suo, alacris vt gigas ad currendam viam, sed allusione Poëticâ. quod imitatur Virgilius:*

Introduct. ad Martẽ.

Tithoni croceum linquens aurora cubile.

Virgil.

Prior quippe Poësis apud Hebræos fuit. Non exire solem ex horizonte

zonte tamquam è tabernaculo (etsi oculis sic appareat) sciebat Psaltes: moueri verò solem existimabat, propterea quia oculis ita apparet. Et tamen vtrumque dicit, quia vtrumque oculis ita videtur. Neque falsum hic vel illic dicere censeri debet. est enim oculorum comprehensioni sua veritas, idonea secretiori Psaltis instituto, cursuiq; Euangelij, adeoq; Filij Dei, obumbrando.

Sed non animaduertit, aut dissimulat Keplerus, particulas *tamquam* & *vt*, cum dicitur sol *tamquam sponsus*, & *vt gigas*, non esse idemtitatis, sed similitudinis, vti loquuntur Grammatici. Non appellatur ergo sol sponsus, aut gigas, sed sponso & giganti similis; currere tamen viam absolutè dicitur, non currenti similis, vt est vnanimis sacrorum Interpretum consensus, à quorum sensu abire prohibent Tridentini Patres. Seſſ.4.

Eccle.1. Secundò, Ecclesiastes, *Generatio præterit*, ait, *& generatio aduenit, terra autem in æternum stat. Oritur sol & occidit, & ad locum suum reuertitur, ibiq; renascens gyrat per meridiem & flectitur ad aquilonem: lustrans vniuersa in circuitu pergit spiritus, & in circulos suos reuertitur.*

Fateor quidem *statum* illum terræ æternum, veriùs de duratione æternâ, quàm de quiete locali accipi; sed quâ ratione motum solis, quem tot verba inculcant *(reuertitur, gyrat, flectitur, pergit)* possunt eludere? Video tamen quid tentare valeant. Nempe, solem dici *reuerti, gyrare*, &c. quomodo *oriri, occidere, renasci*. non quasi reuerà mane oriatur, vesperi occidat, & die sequenti à morte renascatur (hæc enim Epicuri, & stulta Philosophia est, quæ siderum ignes mane accedit, vesperi extinguit Oceani aquis;) sed quia sic videtur, etsi res aliter longe habeat. Eodem igitur modo, *reuerti* & *gyrare* dicetur, non quòd motu suo reuera id faciat, sed quia sic apparet, cùm interim terra potiùs sit, quæ in circulos suos reuertitur, & gyrat. Verùm etsi primâ specie probabilia hæc videantur, non videbuntur, si larnam detraxeris. Nam *oriri, occidere, renasci*, vulgari & detrito loquendi vsu (quamuis *renasci* Poëticum magis, & pro *resurgere* positum sit) motum verum localem significant, quo quidpiam ex occulto emergit, aut oculis se subducit. Vnde hisce etiam verbis (non tantùm prioribus illis, quæ magis propria sunt) motum verum solis Spiritus sanctus significauit. Insolens verò planè est, vt verbis, *reuerti, gyrare*, &c. non verum motum, sed tantùm imaginem motûs Scriptura indicare velit. Præsertim

ſertim vbi mox & immediatè Eccleſiaſtes de fluminibus: *Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat, ad locum vnde exeunt flumina reuertuntur, vt iterùm fluant.* Ecce, flumina *ad locum reuerti*, quomodo ſol ijſdem verbis *ad locum ſuum reuerti* dicitur: ſed flumina vero motu eunt & redeunt; igitur etiam talis erit motus ſolis, ne æquiuocatio in verbis tam vicinis obſcuriſſima & improbabilis admittatur. Eccle. 1.

Tertiò, Celeberrimus locus eſt, vbi Ioſue inter ardorem pugnæ, in cælum clamat: *Sol contra Gabaon ne mouearis, & luna contra vallem Aialon. Steteruntq́;*, ſubdit Scriptura, *ſol & luna, donec vlciſceretur ſe gens de inimicis ſuis. Stetit itaque ſol in medio cæli, & non feſtinauit occumbere ſpatio vnius diei.* Si Copernicanus Ioſue fuiſſet, debebat potiùs ſic clamare: *Terra ne mouearis*, &c. Scriptura deinde: *Steterunt terra & luna*, &c. non verò, *ſol & luna.* Sed Keplerus illum excuſat. *Hoc vnicum in votis*, inquit, *habuit Ioſua, ne montes ipſi ſolem eriperent, quod votum explicuit verbis ſenſui oculorum conformibus; cùm importunum admodum fuiſſet eo tempore de Aſtronomiâ, deq́; viſus erroribus cogitare. Si quis enim monuiſſet, ſolem non verè contra vallem Aialon moueri, ſed ad ſenſum tantùm: an non exclamaſſet Ioſua, ſe petere vt dies ipſi producatur, quacumque id ratione fiat? Eodem igitur modo, ſi quis ipſi litem mouiſſet de ſolis perenni quiete, terræq́; motu. facilè autem Deus ex Ioſuæ verbis, quid is vellet intellexit, præſtititq́; inhibito terræ motu, vt illi ſtare videretur ſol.* Ioſ. 10. Introduct. ad Martem.

Quin imò Origanus, dum altiùs in hæc verba deſpicit & conſiderat, terræ, non ſolis & lunæ, motum, ac ſententiam Copernici à Ioſue, iam tum Copernicano, aſſertam inuênit. *Animaduertimus*, inquit, *Ioſuam in ſtatione ſolis & lunæ, terræ mentionem facere, quando ſolem prope Gabaon & lunam contra vallem Aialon ſtare præcepit: haud obſcurè innuens, apparentiam quidem ſtationis luminaribus, veritatem verò terræ conuenire.* Epiſt. ad Elect. Brãdenb.

Sed vix teneo ebullientem riſum. Nam profectò, etſi meminerit Gabaonis & vallis Aialonis, quæ ſunt in terrâ, & quibus vrbibus ſol & luna impendère videbantur, ſecundùm Abulenſis & Ariæ interpretamentum; non tamen ipſis, aut Orbi terræ cui inſidebant, ſed ſoli & lunæ, ne à vertice illarum vrbium ſe emouerent, imperauit quietem. Keplero tamen attentius aliquid oportet reſpondere. Et demus ei ſanè, Ioſuam in illo æſtu pugnæ, linguâ

guâ fuisse lapsum, & solis cursum stitisse, cùm debuisset terræ frænare vertiginem; quid tamen Spiritui sancto faciemus, qui mox narrat, *Stetisse solem & lunam*, item, *Stetisse solem in medio cæli*, & tamquam rem admirandam, *non festinauisse occumbere?* Iterùm ergo, insolenti Scripturæ, in verbis quæ motum localem significant, phrasi, & contra publicam SS. Patrum vocem & interpretationem, omnia non secundùm verum, sed solam veri apparentiam explicanda erunt, quod ratio prudens & Tridentinum vetant.

Lib.4.c.20 Reg. Quartò, Tempore Ezechiæ Regis, Dominus *reduxit vmbram per lineas quibus iam descenderat in horologio Achaz, retrorsum decem gradibus*. Vmbram verò istam retroactam per sua vestigia, reditu solis ab occasu versus ortum, alibi narratur. Origanus tamen, Epist. ad Elect. *In regreßione tempore Ezechiæ*, inquit, *umbræ meminerunt sacræ Litteræ, quæ à corporibus terrestribus prouenit: quando etiam terra præcipuè ab ortu in occasum regressu, vmbra decrescere animaduersa, & sol regredi visus est.*

Sed Scriptura aliubi, non tantùm *visum regredi solem*, sed *retrò* Eccli.48. *rediisse*, & *esse reuersum* affirmat. *In diebus ipsius* (Ezechiæ) *retrò* Isa.38. *rediit sol, & addidit Regi vitam*. & alius: *Reuersus est sol decem lineis per gradus quos descenderat*. Hos postremos Scripturæ locos, sideribus & cælo, id est alteri studio intentus, an viderit Origanus, an priorem illum solùm, qui de sole nil meminit, ignoro. Itaque viâ illâ Keplerianâ iterùm hîc euadendum erit, explicando *esse* per *apparere*, id est, pro veritate ipsâ, supponendo μορμολύκειον tantùm & vanam quamdam imaginem veritatis.

Quintò, Plura alia Scripturæ testimonia in vnum hîc fascem conijcere possumus.

Psal.92. *Firmauit Orbem terræ, qui non commouebitur*. & alibi idem:

Psal. 103. *Qui fundasti terram super stabilitatem suam, non inclinabitur in sæculum sæculi*. Quod sic æstimauit Origanus, vt propterea motum annuum terræ circa solem resecuerit, & ex Copernicano Epist.ad Elect. factus sit semi-Copernicanus. *Neque*, inquit, *à sacrarum Litterarum sententiâ in eo* (motu terræ diurno circa suum centrum) *discedo, quòd, plerorumque Astronomorum & Physicorum consensu, contra Copernici mentem, medium mundi semper obtinere, nec ab eo vel latum vnguem, deflectere assero terram. cùm & Psal.* CIII. *terram fundatam esse super stabilitatem, seu centrum suum, à quo non inclinatur*

tur vel dimouetur vllo sæculo, apertè dicat. Vbi subit sanè, religionem Origani admirari, cùm alibi tam disertè Scriptura dicat solem *gyrare per meridiem*, quàm hîc terram *non inclinari*; & tamen sine scrupulo asseueret, solem à gyro & motu diurno per meridiem quiescere, motumque illum reuerà esse in terrà, & solam eius imaginem in sole. Eccle. 1.

Illustris etiam alibi locus est, & qui me afficit. *Qui emittit lumen* (solem) *& vadit: & vocauit illud, & obedit illi in tremore.* Ac deinde stellarum fixarum motum etiam innuens: *Stellæ autem dederunt lumen in custodijs suis, & lætatæ sunt: vocatæ sunt, & dixerunt, Adsumus:* vt famuli videlicet, ad vocem & imperium domini, motu suo accurrentes. Aliquando etiam miraculo impedit eas, & cohibet motus. *Qui præcipit soli, & non oritur, & stellas claudit, quasi sub signaculo.* & iterum alibi: *Indica mihi, si nosti omnia, In quâ viâ lux habitet, & tenebrarum quis locus sit. vt ducas vnumquodque ad terminos suos, & intelligas semitas domus eius.* Vbi *via, semita, ducere ad terminos*, motum lucis, siue solis, qui lux & lampas mundi, non obscurè significat. De motu verò diurno Luciferi, siue Veneris. *Numquid producis luciferum in tempore suo, & vesperum super filios terræ consurgere facis?* Baruch 3. Iob 9. Iob 38. Ibid.

Hæc autem omnia, & alia quædam Scripturæ loca, frustrà è Vitellone suo nobis explanare nititur Keplerus. Nam etsi verum sit, & Aristoteles etiam adfatetur, οὐδὲν διαφέρει, κινεῖν τὴν ὄψιν, ἢ τὸ ὁρώμενον, *nihil interesse, siue visus ipse, siue res visa moueatur*, vt hæc appareat moueri; propriè tamen, famosè (vt loquuntur Dialectici) & passim in Scripturâ sacrâ id dicitur moueri, quod reuerà est subiectum motus, non autem solius apparentiæ eius. Vnde motum qui soli & stellis vbique tribuitur, violenter, & solùm, quia Copernicanæ Philosophiæ ita expedit, à veritate ad imaginem & apparentiam, à proprietate ad insolentem Scripturæ sacræ metaphoram trahere, est satis manifestè in legem Tridentini committere, quæ vetat quemquam *Scripturam sacram ad suos sensus contorquere.* Lib. 2. c. 8. Cæli. Sess. 4.

Sed Scriptura alibi sæpè, verba quæ rem significant, pro solâ rei apparentiâ vsurpat, clamat vbique Keplerus. Nam inprimis Moyses solem & lunam *duo luminaria magna* appellat. item Paullus: *Alia claritas solis, alia claritas lunæ, & alia claritas stellarum*, præponens lunam stellis, quibus tamen mole corporis, & abundantiâ Gen. 1. 1. Cor. 15.

lucis multum cedit. Luna igitur *luminare magnum*, item claritas eius claritatem ſtellarum antecellere dicitur, ſolùm quia ſenſui allucinanti ſic apparet.

Sed allucinatur ipſe Keplerus. nam, vt Dialecticè loquar, *magnum* non appellat materiale, ſed formale ſignificatum *luminaris*. id eſt, luna non appellatur *luminare magnum*, quia mole corporis, ſed, quia virtute illuminandi terram e propinquo, magna ſit. Similiter claritas quâ ſenſum noſtrum ferit, maior eſt ob eamdem propinquitatem, quàm in ſtellis. Verùm alia ſunt, quæ maiores fortaſſe

Pſalm. 18. tricas tricare nobis poſſint. Vt cùm *A ſummo cælo* dicitur eſſe *egreſ-*

Math. 24. *ſio* ſolis. & alibi, *A ſummis cælorum vſque ad terminos eorum.* ſiue Græcè, ἀπ' ἄκρων οὐρανῶν ἕως ἄκρων αὐτῶν, *ab extremis cælorum vſque ad extrema eorum.* Vbi Chriſtus Dominus falſæ hominum imaginationi, quâ exiſtimant cælo vndique terram tangi & concludi, videtur locutionem ſuam accommodare. Sic enim vnum extremum cæli erit in imaginario contactu cæli & terræ orientalis, & alterum in contactu occidentali oppoſito.

Lucæ 5. Et alio loco ad Petrum, *Duc in altum. quaſi mare*, ait Keplerus, *ſit altius littoribus: ſic enim apparet oculis. Et Optici cauſſas demonſtrant huius fallaciæ.* Sed, vt ab iſto incipiam, Græcam lectionem inſpiciamus. Ἐπανάγαγε εἰς βάθος, *duc in profundum.* Ecce *altum* ſumi pro *profundo*, quomodo ſæpè ſolet; vt tota Optica Kepleri hîc ſuperuacua ſit. Mare autem à littoribus remotum, meritò profundum appellatur; quia reuerà altius & profundius, quàm iuxta littora, nautæ ferè experiuntur.

Cùm verò cælum dicitur duo extrema habere (tametſi rotundum, & ſine principio & fine ſit) non ad integram cæli circumferentiam, ſed ad vnicum quod capiti noſtro imminet cæli hemiſphærium, Chriſtus & omnes nos reſpicimus. Hoc verò extrema vtrimque habet; puncta videlicet in quæ radius viſualis terram deſtringens incidit.

Pſalm. 23. Verumtamen Deus dicitur *ſuper maria fundaſſe Orbem terrarum*, non quia res ita habeat, ſed quia nobis videtur, tamquam nauis, vaſto mari incumbere, ait Lanſbergius. Sed perperàm, nec vt bonus verbi diuini Miniſter. nam Pſaltes ſe mox explanat: *Et ſuper flumina præparauit eum.* Nemo tamen tam ſtupide allucinatur, vt Orbem terræ fluminibus putet, ceu nauem, innatare.

Reſpicit igitur, ſine dubio, ad diem mundi tertium, quando *Con-*

gregatæ aquæ quæ ſub cælo erant, in vnum locum, vt appareret arida. Gen. 1.
Fundauit ergo *Orbem terrarum ſuper maria*, & *præparauit eum ſuper flumina*, quia cùm anteà ſuppreſſus eſſet aquis, montibus & littoribus in altum euectis, alueiſque effoſſis aut exaratis, mari & fluminibus eminentiorem eum, ad habitationem animantium constituit. Vnde Orbem terrarum hîc Hebræi תֵּבֵל *tebel*, Septuaginta οἰκουμένην appellant, id eſt *terram cultam*, qualis non eſt totus à centro terræ globus, ſed pars ea dumtaxat quæ ſupereminet aquis. August. in Pſalm. 135.

Sed *Spiritus ſanctus nobiſcum balbutit*, inquit iterùm Lansbergius. Non abnuo, ſi hoc ſolùm velit, eum humanâ linguâ cum hominibus, vt ſe *familiariùs inſinuet*, loqui, allegorias, metaphoras, tropos & ſchemata ſpargere. Aug. lib. 15. c. 25. Ciuit.

Attamen diligenter attendendum eſt, quæ ſolentes, quæ inſolentes in vſu Scripturæ metaphoræ & figuræ. Inſolentiſſimum verò in eâ eſt, verbum quod motum localem ſignificat, ad imaginem tantùm motûs localis, ſine leuiſſimo etiam eius inſolentiæ indicio, transferri. Si verò interpretibus tanta tranſlationis licentia permittatur, nihil ſolidi, nihil certi, ſed incerta & lapſantia omnia nobis Spiritus ſanctus loquetur.

Itaque Philoſophi Chriſtiani non ita figere ſibi in anteceſſum opiniones debent, vt deinde Spiritum ſanctum, vbi repugnare videbitur, non tantùm in balbutiem ſuam, ſed in mendacium trahant. ſed ante omnia, verus Scripturarum ſenſus ex vſitatâ eius phraſi, ex Eccleſiæ ſenſu, & SS. Patrum conſenſu rimandus eſt, ac deinde cymbam ſuam onerariæ eorum alligent, vt tutò in hoc errorum mari nauigare valeant.

Copernicani verò contrà, primùm ex imaginatione ſuâ mundi ſyſtema ſibi deformauerunt, poſtremam de Scripturæ ſacræ ſententiâ curam habuerunt. ſimillimi, & verè maiorum ſuorum Pythagoreorum filij, qui, vt olim narrat Ariſtoteles, priùs de ratione, quam de ſenſu (in hoc ipſo terræ motu & cæli ſtatu) ſolliciti fuerunt. Οὐ πρὸς τὰ φαινόμενα τοὺς λόγους καὶ τὰς αἰτίας ζητοῦντες, ἀλλὰ πρός τινας δόξας καὶ λόγους αὐτῶν τὰ φαινόμενα προσέλκοντες, καὶ πειρώμενοι συγκοσμεῖν. *Non ad tuenda apparentia, rationes & cauſſas quærentes, ſed ad quaſdam ſuas rationes opinioneſque trahentes apparentia, atque conantes adornare.* Nónne videtur tibi noſtros hodie Copernicanos in oculis & ſtilo habuiſſe? Lib. 2. c. 13. Cæli.

Sed aliquid etiam in aurem mihi susurrat Lansbergius. hinc abeo, vt exaudiam.

CAPVT VII.

Malè quidam, nihil certi pro disciplinis Mathematicis & naturalibus è Scripturâ sacrâ erui posse existimant.

LAnsbergius, tamquam sacræ Scripturæ consultus & Minister, Fatetur *Scripturam vtilem esse ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitiâ*; verùm *nego autem*, inquit, *vtilem esse ad institutionem quæ est in Geometriâ & Astronomiâ. Neutiquam enim harum artium fundamenta tradere voluit Spiritus sanctus Scripturarum auctor, sed eæ suis principijs nixæ, non ex libris sacræ Scripturæ, sed eorum qui in illis fuere versati, rectè discuntur. Hinc Moyses non sacrâ Scripturâ, sed ab Aegyptijs eas didicisse legitur, & Daniel cum socijs easdem accepisse ex institutione Chaldæorum. Aberrant igitur à scopo sacræ Scripturæ, quicumque Geometricas & Astronomicas quæstiones ad eius normam expangunt, vt planiùs percipies sequentibus exemplis.*

2. Tim. 3. Comment. de Motu terræ Controuers. 1. — Act. 7. — Dan. 1.

Exempla verò ista sunt. Primum, proportio diametri & circumferentiæ balnei, siue maris ænei, quam ἀγεωμετρήτως & imperitè describit Auctor librorum Paralipomenων. *Mare fusile*, inquit, *decem cubitis à labio vsque ad labium, rotundum per circuitum. quinque cubitos habebat altitudinis, & funiculus triginta cubitorum ambiebat gyrum eius.* Si enim circumferentia & gyrus fuit 30. cubitorum, impossibile est, diametrum *à labio vsque ad labium* fuisse 10. cubitorum: sic enim circumferentia circuli contineret præcisè diametrum ter; cùm tamen addat insuper septimam ferè diametri partem. Certum enim hoc & Archimedeum est: Παντὸς κύκλου ἡ περίμετρος τῆς διαμέτρου τριπλασίων ἐστὶ, καὶ ἔτι ὑπερέχει ἐλάσσονι μὲν ἢ ἑβδόμῳ μέρει τῆς διαμέτρου, μείζονι δὲ ἢ δέκα ἑβδομηκοστομόνοις: *Cuiuslibet circuli circumferentia tripla est diametri, & adhuc excedit minori quidem quàm septimâ parte diametri, maiori verò quàm decem septuagesimis primis.* Vnde diameter ad circulum habet se vt 7. ad 22. proximè. id est, paullò minor est quàm tertia pars eius. Si ergo peripheria maris ænei in templo Salomonis habuit 30. cubita, diameter eius breuior fuit 10. cubitis. aut si hæc

2. Paral. 4. 3. Reg. 7. — Archimed. de Circuli dimens. prop. 3.

hæc 10. cubita habebat, illa maiori quàm 30. cubitorum gyro ambiri debuit.

Alterum exemplum Lansbergij est in errore D. Augustini, qui ex Scripturâ sacrâ, nullos esse antipodas, qui *aduersa pedibus nostris calcarent vestigia*, perperàm collegit. quia enim Scriptura ex vno homine totum genus humanum satum esse affirmat, non videbat, quâ viâ *aliqui ex hac in illam* (antipodum) *partem, oceani immensitate traiectâ, nauigare ac peruenire potuissent; vt etiam illic ex vno illo primo homine genus institueretur humanum.* August. lib. 16. c. 9. Ciuit.

Sed parabile & promptum quod Lansbergio reponamus. Nam vt primùm de exemplis istis. Errauerit sanè in re naturali, occasione Scripturæ sacræ D. Augustinus: an idcircò nihil quod ad quæstiones naturæ dissoluendas faciat, ex omnibus sacris libris sumi potest? Nam ecce, hæretici peruersissima sua dogmata è Scripturâ sacrâ per tortas quasdam consequentias deducunt: an ideò inutilis est, vt inde quidquam Catholicæ veritatis eliciatur? Quamquam non propriè in theoremate aliquo naturali, sed in facto ipso versetur allucinatio D. Augustini. Largiter enim error eius à Lactantij distat. Hic metuit ne antipodes in cælum capite prono decidant, negatque posse, nisi vnguibus instar felium, aut vncis globo terræ affigi; Augustinus verò non abnuit, posse ibi sine labendi periculo consistere (nec enim metuit, ne mare quo obrutam illam terram suspicatur, in cælum suâ grauitate defluat) sed plagam tamen illam sine incolâ esse existimat, quia non capit, quâ viâ progenies Adami, aut Noachi à diluuio ex Armeniâ eò penetrauerit. De diametri & peripheriæ ænei maris proportione, res etiam trita ac facilis. nam Scriptura alibi etiam minutias numero rotundo, vt vocant, superexcrescentes contemnit. Et vt magis credat Lansbergius, legat Kepleri, Principis Copernicanorum, De Anno Christi Natali librum, qui contendit Christum in baptismo tertium & trigesimum ætatis annum excessisse, etiamsi S. Lucas de eo dicat, ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα ἀρχόμενος ὤν: *quasi annorum triginta incipiens.* Lucæ 3.

Sic ergo, cùm Scriptura dixisset, diametrum *à labio vsque ad labium* vasis fuisse 10. cubitorum, cepit numerum rotundum funiculi, siue circuli cuiusdam qui peripheriam labij circuibat, aitque 30. cubita habuisse: quod verum est, etsi paullò longior, id est 31. cubitorum circiter, esse debuerit.

Si verò peripheria 30. præcisè cubita amplectebatur, non magnâ particulâ diameter à 10. cubitorum longitudine abfuit.

Verum igitur est, ex eo Scripturæ loco colligi non posse præcisam & Archimedeam proportionem quæ est inter diametrum & circulum eius; sed potest tamen mechanica quædam & rudis: vt proinde telum hoc in Lansbergium regeri possit, qui omnem vtilitatem, geometricum quid ex eâ eliciendi, à Scripturâ sacrâ spernit. potest enim ex hocce etiam loco, quo Scripturæ inutilitatem ostendere nititur, si non præcisissimum aliquid, præcisioni tamen proximum fabricari.

Nihil autem, quod in rerum naturalium cognitionem quidquam referat, à Scripturâ doceri, manifestè falsum dicet, qui primos dies creationis mundi, Ecclesiasten, & librum Iobi, ac alia quædam sparsim, cum SS. Patrum commentarijs leget. Quid? nónne S. Ambrosius post Basilium, ex Isaiâ naturam cæli non solidam, sed instar fumi subtilem esse collegit? *De qualitate & substantiâ cæli*, inquit, *satis est ea promere quæ in Isaiæ scriptis reperimus, qui mediocribus & vsitatis sermonibus qualitatem naturæ cælestis expressit, dicens, quod* firmauerit cælum sicut fumum: *subtilem eius naturam nec solidam cupiens declarare.*

Ambros. lib. 1. c. 6. Hexam.

Isaiæ 51.

Nónne D. Hieronymus ait, *A plerisque, iuxta Ecclesiasten, cælum affirmari rotundum, & in sphæræ modum volui?* Ecce isti non ab Aristotele, sed è Scripturâ sacrâ, cæli naturâ & figuram didicerunt.

In c. 3. ad Ephes.

D. Augustinus tam palàm Philosophis in re naturali Scripturam anteponit, vt cùm sibi obiecisset: *Quomodo non est contrarium ijs qui figuram sphæræ cælo tribuunt, quod scriptum est in litteris nostris,* Qui extendit cælum sicut pellem? respondeat: *Sit sane contrarium, si falsum est quod illi dicunt. hoc enim verum est quod diuina dicit auctoritas, potiùs quàm illud quod humana infirmitas conijcit.* Audisne Lansbergi, quomodo in rebus etiam istis firmitas Scripturæ potior esse debeat infirmitate Copernicanorum? Alibi etiam æquè disertè, *Quidquid*, ait, *de quibuslibet suis voluminibus his nostris litteris, id est, Catholicæ fidei contrarium protulerint* (Philosophi) *aut aliquâ etiam facultate ostendamus, aut nullâ dubitatione credamus esse falsissimum.*

Lib. 2. c. 9. Gen. ad litt.

Psal. 103.

Lib. 1. c. vlt. Gen. ad litt.

Et cùm alicubi de naturâ animæ disputaret, *Tutius est*, inquit, *de huiusmodi rebus, non humanis agere coniecturis, sed diuina testimonia perscrutari.*

Lib. 10 c. 4. Gen. ad litt.

Diuina

Diuina autem testimonia, non quomodo Philosophi, non quomodo Copernicani, sed, *Quomodo intellexerunt Sancti, sic vtique intelligenda sunt.* August. Ser. 18. de Verb. Domini.

Illi enim, *Si fortè ad Scripturas sanctas*, inquit alter, *post sæculares litteras venerint, ad sensum suum incongrua aptant testimonia: quasi grande sit, & non vitiosissimum docendi genus, deprauare sententias, & ad voluntatem suam, Scripturam trahere repugnantem.* Hieron. Epist. ad Paullinum.

Repugnat verò ista Copernicanis satis manifestè, quæ toties & tam disertè solem ait gyrare & moueri, sine vllo vspiam indicio, vnde appareat, talem loquendi formulam à proprio & visitatissimo significatu ad improprium & insolentem debere inflecti.

Neque enim simile est, quod de Deo affert Lansbergius, qui dicitur quandoque in Scripturâ sacrâ, *ascendere*, aut *descendere*; quod tamen, cùm immobilis sit, κατὰ τὸ ἀκριβὲς & in rigore nequit intelligi. Nam spectatâ paullisper naturâ subiecti, cui tribuitur hîc motus, illicò nudat se metaphora, & apertè intelligimus, in rem immensam, & quæ vniuersa spatia occupat, verum localem motum non posse cadere. Simile & gemellum etiam planè est, cùm Deus irasci dicitur, aut dolore tangi; vti omnes vniuersi SS. Patres interpretantur. Nulli verò vmquam venit in mentem subtilis illa de motu terræ & statu solis, interpretatio Copernici; imò vbique fatentur, sidera omnia in motu esse, terram iugi quiete in vniuersi centro desidere. Dicat enim pro Græcis D. Nazianzenus. Θεὸς λόγῳ ἥδρασε γῆν, ἐγύρωσεν οὐρανὸν, ἀστέρας ἔταξεν. *Deus verbo terram in sede stabiliuit, cælum tornauit, stellas in ordinem redegit.* Orat. 4.

Pro Latinis vnicus (& quid opus in re confessâ testium multitudine?) Augustinus solem fateatur circuire. *Vereor*, inquit, *ne deridear, & ab ijs qui certissimè cognouerunt, & ab ijs qui possunt facillimè aduertere, quòd eo tempore quo nox apud nos est, eas partes mundi præsentiâ suâ illustret, per quas sol ab occasu in ortum redit, ac per hoc omnibus 24. horis non deesse per circuitum gyri totius, alibi diem, alibi noctem.* Lib 1. c. 10. Gen. ad litt.

Verùm, vt nos etiam hoc fauori demus Copernicanorum, fortasse sancti isti Patres, *vtentes mundo quasi non vtentes, sed in simplicitate cordis sui quærentes Deum, ne illud quidem magnopere vestigarunt, Quonam modo mundialis hæc machina volueretur*, vt cum mellifluo isto dicam. Bernard. Ser. 3. de Pentecost. Et sanè rogatus quondam à Fratribus S. Augustinus, An per firmamentum immobile sidera traijcerentur, an illud

Lib.2.c.10. Gen.adlitt. illud volueretur cum ipsis in orbem, *Respondeo*, inquit, *multùm subtilibus & laboriosis rationibus ista perquiri, vt verè percipiatur, vtrùm ita an non ita sit: quibus ineundis atque tractandis, nec mihi tempus est, nec illis esse debet, quos ad salutem suam & sanctæ Ecclesiæ necessariam vtilitatem cupimus informari.*

Imò Ambrosius, qui tam multas naturæ res ex Basilio, vt solet, in Hexameron suum congerit, cùm ex illo Iobi, *Suspendens terram in nihilo*, intulisset, *Includitur ergo orbe cælesti, & ideò sol noctibus non videtur, quia gyrando in inferiore inuenitur orbis parte cælestis; Sed non est*, inquit, *cura sanctis, axem cæli, & elementorum spatia Philosophico more, numerosque describere. Quid enim hoc prodest saluti? Quia sancti spiritualibus semper intendunt, & vitæ æternæ profutura vel cognoscere gestiunt, vel docere.*

Iob 26.
Ambros. in Psal. 118. Serm. 12.

Si igitur SS. Patres tam rerum naturalium incuriosi fuerunt, sententiæ eorum neglectim conceptæ meditationibus Philosophorum accuratissimis nequaquam anteponendæ videntur. Sed nihil amplius inde, & aliis id genus Sanctorum dictis conficere potest Lansbergius, quàm rerum naturalium tractationem habuisse ἐν παρέργῳ, non in opere & curà principali. nihilominùs dum in eas Spiritus sanctus quasi incidit, aut etiam longiùs quandoque, ad diuinæ sapientiæ & omnipotentiæ laudationem, persequitur, Sancti interpretes eas commentantur, & strictim aut diffusè, pro cuiusque ingenio aut eruditione, explicant, & certiora omnia ex sacris, quàm Philosophorum libris depromi confitentur.

Audiuimus id antè ex Augustino, audi iam etiam Ruffino loquentem Hieronymum. *Vrges*, inquit, *vt respondeam de naturâ rerum. Si esset locus, possem tibi vel Lucretij opiniones iuxta Epicurum, vel Aristotelis iuxta Peripateticos, vel Platonis atque Zenonis secundùm Academicos & Stoicos dicere. Et vt ad Ecclesiam transeam, vbi est norma veritatis, multa & Genesis, & Prophetarum libri, ac Ecclesiastes nobis de huiusmodi quæstionibus suggerunt.* Ecce, vt etiam in istis, normam veritatis dicit esse penes Ecclesiam & Auctores sacrarum Scripturarum.

Apolog. aduersus Ruffin.

Addamus Græcæ elegantiæ, & omnifariæ eruditionis delicium Nazianzenum. Qui cùm quæsiuisset, Πῶς ψάμμος ὅρον αὐτῇ, τηλικούτῳ στοιχείῳ; *Quomodo tantum* (aquæ) *elementum arenam pro termino haberet?* Subdit: *Possúntne hoc expedire Physici atque inanis eruditionis laude celebres, ac verè cyatho mare, id est res magnas ingeniolo*

Orat. 34.

niolo ſuo metientes? Ἢ συντόμως ἐγὼ παρὰ τῆς Γραφῆς τοῦτο φιλοσοφήσω, καὶ τῶν μακρῶν λόγων πιθανώτερόν τε καὶ ἀληθέστερον; *An ego*, inquit, *breuiſsimè id è Scripturâ ſacrâ probabilius & verius, quàm ipſi longis ſuis diſputationibus, philoſophabor?* Et illicò nodum iſtum diſſoluit ex S. Iobo. Iob 38.

A ſenſu igitur SS. Patrum & vero longè aberrant, qui humanas diſciplinas à diuinis litteris corrigi, aut hinc diſci aliquid poſſe negant. Sed Moyſes tamen ab Ægyptiis, & Daniel à Chaldæis eas accepit, inquit Lanſbergius, non autem è Scripturis ſacris.

Miror ſanè, è quibus bibliis ſcientiam naturæ & Mathematicas haurire potuerit Moyſes, quem Pentateuchi, & inter Sacros omnium vetuſtiſſimum Auctorem plerique omnes faciunt: niſi ſi à Iobo tamen aliquid accipere potuit; etſi etiam plurimi eius libri ſcriptionem ad Moyſen quoque referant. Scientiam ergo ſuam ab Ægyptijs partim, aut traditione Hebræorum, partim à Spiritu ſancto habuit infuſam. Daniel verò licet Scripturæ ſacræ aliquam viderit partem, Chaldæis tamen præterea Doctoribus vacauit, quomodo nos pluribus quàm ipſe ſacris libris inſtructi, limina tamen terimus Chriſtianorum Peripateticorum. Organum enim aut Acroamatica Ariſtotelis, vel Elementa Euclidis, aut Ptolemæi Almageſtum in nullo libro ſacro, methodo certâ & ordine ad facilem diſciplinam & comprehenſionem digeſta reperies; ſed ſparſa hinc inde obiter ex diſciplinis illis quædam, vbi occaſio tulit, aut ſiquando diutiùs immorari, Spiritus ſanctus vtile iudicauit, ad prædicandam in fabricâ huius mundi & naturæ totius adminiſtratione ſapientiſſimi Opificis laudem. Hæc autem non ſufficere ad doctrinæ plenitudinem, nimiſquàm eſt manifeſtum.

Nimis ergo procul extra Scripturæ ſacræ & tuas oleas exerraſti Lanſbergi, vbi eam negaſti, *ad inſtitutionem quæ eſt in Geometriâ & Aſtronomiâ*, ad firmandam terram, mouendum ſolem (quò præcipue tendis & dirigis arcum) *eſſe vtilem:* & inter eos planè cecidiſti de quibus D. Auguſtinus, *Vbi aliter*, inquit, *ea* (ſacræ Lib. de Scripturæ verba) *ſecundùm ſuam ſententiam interpretari non poſ* oper. Mo- *ſunt, etiam clara & manifeſta, obſcura & incerta eſſe reſpondent,* nach. c. 9. *quia & praua & peruerſa dicere non audent.*

CAPVT VIII.

Sensus etiam & ratio naturalis Philosophiam Samiam respuit. Aristoteles pondera non relapsura in terram ad perpendiculum olim ei obiecit: nec quisquam hactenus vim argumenti potuit eludere.

FAllor, aut in vltimum hunc angulum se tandem abdent Copernicani. Absurditatem intolerabilem in sententiâ quæ solem mouet & terram quiescere iubet, inesse dicent, imò palàm & exertè id iam clamant: oportet autem ita Scripturæ sacræ interpretationem moderari, monente S. Augustino, *vt quidquid ipsi* (Philosophi, aut Astrologi Copernicani) *de naturâ rerum veracibus documentis demonstrare potuerint, ostendamus nostris litteris non esse contrarium.* Itaque in hanc naturæ cum ijs arenam descendere, quò vocant, nos oportet. Et primùm ostendemus, rationi & omnibus experimentis consentire sententiam quæ motum terræ adimit, & reddit soli; deinde argumenta dissoluemus quibus suum systema construere, & aduersariorum destruere conantur Copernicani.

Lib. 1. c. vlt. Gen. ad litt.

Ante omnia igitur motum terræ diurnum sistere tentemus argumento Aristotelis, quod olim omnes auidè, & tamquam demonstrationem arripuerunt. Auctoritatibus verò agere superfluum est: si enim ad calculos res deducatur, victi sunt à pluribus & melioribus Copernicani. Nam præter Scriptores sacros, Academia, Lyceum, Stoa, Viridarium Epicuri, Hipparchus, Ptolemæus, ac vniuersa Philosophorum ac Astronomorum natio, exceptis paucis Pythagoricis, & ijs patriâ ferè Samijs (vt videantur potiùs id dedisse conterraneo suo Pythagoræ, aut Aristarcho, quàm quòd reuerà & ex intimo suo sensu sic existimarent) omnes à caluo ad caluum terræ quietem, cælo motum tribuerunt.

Lib. 2. c. 13. Cæli.

Probat igitur Aristoteles terræ ἀσφάλειαν quia τὰ βίᾳ ῥιπτούμενα ἄνω βάρη κατὰ στάθμην πάλιν φέρεται εἰς τὸ αὐτὸ, *pondera quæ sursum eÿciuntur, ad perpendiculum rursus in eamdem terræ partem recidunt.*

Tycho Epist. ad Rothman.

Si autem verum est quod asseuerant Pythagorico-Copernicani, terram intra 24. horarum spatium, integrâ periodo circa centrum reuolui ab occasu, in ortum, ipsa calculo Tychonis, *intra vnum temporis minutum, quod circiter centum pausas continet, vltra* 18750. *passus maiores, seu* 3 ¾ *milliaria Germ. conficiet, assumendo*

mendo pro quolibet milliari 5000. passuum, & terræ circumferentiam 5400. milliarium Teuthonicorum vulgarium præsupponendo. Vnde sequitur, punctum vnum terræ sub Æquatore,& hominem quempiam Americanum qui forte illud calcat, 24. horis totum terræ ambitum 5400. milliarium Germ. & singulâ quâque horâ 225. milliaria Germ. veluti rapidissimo trocho insidentem,circumcurrere. Hinc ergo putauit Aristoteles lapidem, aut sagittam rectà sursum & per axem horizontis emissam,non redituram (terrâ velocissimâ gyratione se versus ortum subducente) in idem telluris punctum, sed 4. ferè milliaribus Germ. (licet vnicum horæ minutum in itu redituque consumeret) inde versus occidentem recasuram. In parallelo verò Germaniæ & Belgij, qui minor est Æquinoctiali, nec tantâ rapiditate circumagitur, duo circiter milliaria Germ. decurremus vno horæ minuto; vt proinde totidem milliaribus sagitta illa relapsura sit versus occasum.


Idem Tycho, & Clarissimus Academiæ nostræ Archiater Thomas Fienus in Epistolâ ad nobiles Anglos,ostendunt,in pondere ex altissimâ turri demisso, quod negant ad pedem turris, sed procul inde ad partem occidentalem, casurum. Fien.Epist. ad nob. Anglos.

Gemellum etiam est,quod aiunt volucres ad pastum euolantes, non reperturas nidos,vertigine terræ interim turres, domos, arbores ad multa passuum millia inde in ortum abripiente.

Ipse etiam volucres tranantes aëra leni Buchan.
Remigio alarum, celeri vertigine terræ
Abreptas gemerent siluas, nidosq; tenellâ
Cum sobole.

Hos tamen argumentorum laqueos satis à Copernico tribus pænè verbis excussos putat Rothmannus. *Non solùm terra enim,* ait Copernicus, *cum aqueo elemento sibi coniuncto sic mouetur, sed non modica quoque pars aëris, & quæcumque eodem modo terræ cognationem habent. Siue quòd propinquus aër terreâ aqueâve materiâ permixtus eamdem sequatur naturam quam terra, siue quòd acquisititius sit motus aëris, quem à terrâ per contiguitatem perpetuâ reuolutione ac absque resistentiâ participat.* Et hunc aëris citra supremam eius regionem protendi existimat, in quâ ideò suspensæ pogoniarum & cometarum formæ instar siderum oriri & occidere cottidie videntur, quia aër in quo fluctuant, destituitur, nec sequitur terram ab occasu in ortum. Copernic. lib.1.c 8.

Lib. 6. c. 5. Bellè Gilbertus: *Terra diurnâ reuolutione non mouetur separatione solidioris circumferentiæ eius à circumfusis corporibus, sed circumfusa effluuia omnia, & in illis grauia, quouis modo vi pulsa, simul cum tellure, generali cohærentiâ vniformiter procedunt.* Κομψῶς μὲν, οὐκ ἀληθῶς δέ. *Eleganter quidem, sed non verè*, vt olim Aristoteles Anaximandro. Putat tamen Gilbertus ita satis responsum Ptolemæo, qui olim Pythagoricis obiecit, nubes, volucres, & vniuersa quæ in aëre pendent, perpetuò in speciem abitura versus occasum, eodem modo quo in stellis & cometis experimur. Nam Lib. 1. Epit. terra velut funibus quibusdam & neruis, ait Keplerus, secum circumfusum aërem, nubes, volucres, & proiecta per eum cadentia torquet in orbem; vt proinde non videantur in occasum refugere, sed eidem perpetuò terræ puncto impendêre, quod pari passu & celeritate sequuntur. Vt in subiecto schemate



BCDE.

BCDE. ſit ambitus Orbis terræ, IFGH. ſit terminus atmoſphęræ, ſiue regionis aëris quouſque aſcendunt altiſſimi vapores & terræ effluuia. Cùm igitur circuli IFGH. circumferentia cũ areâ ſuâ vſque ad circulum terræ BCDE. æquali velocitate cum terrâ rapiatur ab occaſu in ortum, nubes in F. ſuſpenſa videbitur (niſi ventus aſpellat) ſupra punctum terræ C. quieſcere, quia pari ipſum celeritate in orbem comitatur, adeò vt quando C. peruenerit in D. eodem momento F. ſit peruenturum in G. quia C. punctum terræ, per virtutem attractiuam, vt inquiunt, tenet F. nubem in eodem perpendiculo FCA. & eam motu telluris circumducit.

Verumtamen hæc mihi magis aures quàm mentem implent. nam triplex maximè probabilis cauſſa fingi poteſt, cur aër circa terram vaporilentus cum terrâ in orbem vertatur. Vel quia propter ſolam contiguitatem attrahitur, vel quia terra magnus quidam magnes eſt, qui vniuerſa circa ſe, terræ aut aquæ cognationem habentia, rotat, vel denique quia omnibus corporibus grauibus & eorum effluuijs in aëre ſuſpenſis, vis magnetica ineſt, quâ ſeipſa ſponte incitent & moueant in terræ ſequelam.

Primus modus facilè reijcitur, quia aër per meram contiguitatem non valdè altè à terrâ traheretur: vnde nubes excelſiores, & præſertim altiſſimi illi halitus, qui lampades manè & veſperi crepuſculorum ſunt, nullo, aut tardiſſimo paſſu ſequerentur terram, & refugos omnes palàm in occidentem videremus; & id maximè in locis planis; vbi terra nullis montibus aut collibus exaſperatur, qui eam iuuent ad impellendum aërem ab occidente verſus orientem. Cùm enim aër ſit naturâ ſuâ fluxum ac lubricum corpus, & à globo terreſtri diſcontinuum, ne quidem vbi montium, turrium, ædificiorum, arborum altitudinibus propelletur, ſatis obedienter aut pari celeritate motum terræ aſſequetur, ſed diffluet hàc illàc, & retrò relinquetur. Deinde lapides & cetera proiecta pendentia in aëre, tardata ſuâ grauitate, ſegniùs ducerentur quàm aër & leuiora; veluti nauis ſecundo flumine tardiùs defluit quàm aqua.

Alterum modum amplexus eſt Keplerus, ſed profectò non multò ſolidiorem. Nam ſi terra vi magneticâ nubes & vniuerſa in aëre pendula abripit, ſegniùs in ſpatio diſtanti operabitur (nam magnes ferrum longiùs remotum languidiùs attrahit: & Keplerus fatetur, propter longinquitatem tardiùs Saturnum, quàm ceteros planetas, à ſole circa centrum ſuum ſe verſante, trahi ab occaſu in ortum) Lib.4. Epit.

ortum) atque ita nubes quoque pigriùs terræ vertiginem ſequentur, quàm alia terræ propinquiora; cùm tamen, ne videantur ad occaſum retrocedere, celeriùs rapi debeant, quia circulum maiorem deſcribunt, quàm aues & cetera viciniora ſuperficiei terræ.

Deinde, veluti lapis magnes non omnia ſine delectu, aut æquè auidè trahit; ita vis illa terræ magnetica violentiùs corpora quædam, vt fortaſſe ferrum, quàm alia metalla, aut quàm libratas in aëre auium carnes & plumas, in orbem rapiet; quod tamen experimentis repugnat.

Denique, ſi ex cælo lunæ, exempli cauſſâ (quouſque aut ſe omnino non effundit; aut valde tenuiter vis telluris magnetica) demittatur lapis molaris, non per lineam rectam & perpendicularem, ſed per curuam ac diſtortam neceſſariò ad terram perueniet.

Vt in præcedenti ſchemate ſit F. cæli lunæ punctum ex quo verſus centrum terræ A. cadere incipiat lapis, dico non caſurum per lineam perpendicularem F C A. quia quamdiu in extremâ parte ſphæræ actiuitatis terræ verſatur, tardiùs in orbem incedit quàm linea perpendicularis F C A. vnde retrò relinquitur, nec vllâ ratione poteſt ita terræ motum conſectari, vt rectà decidere poſſit in punctum C. ſed paullatim ad terram accedendo, & in denſiorem fortioremque vim terræ magneticam ſe induendo, propiùs vertiginem telluris aſſequitur, donec tandem in punctum terræ N. vel in K. decidat. quod tandem etiam concedit Keplerus. *Lib. 1. Epit.*

Sed licet experientiâ non facilè id refelli poſſit, cùm nemo ad lunam aſcenſurus ſit, vt lapidem inde nobis demittat; tamen in glande bombardariâ, rectà & per axem horizontis altiſſimè excuſſâ, item in lapide, iugo prærupti & excelſiſſimi montis demiſſo, differentia aliqua notari poſſet, nec tam directè in ſubiectum terræ punctum caderet, quàm ſi ex loco terræ propinquiore delapſus eſſet. quia, inquam, in ſpatio terræ vicino vis eius magnetica eſt robuſtior, languidior in remoto; vnde quamdiu graue in magnâ diſtantiâ delabitur, languidiùs trahitur, tardiuſque terræ gyrationem aſſequitur, quàm vbi in vicinum & terræ ferè contactum peruenerit.

Lib. 6. c. 5. Itaque tertium modum elegit Gilbertus, & credit non tam nubes, proiecta, aues trahi à terrâ, quàm illa propriâ ſponte cum terrâ circuire. Terra enim, opinione Gilberti, & corpora grauia, eorumque halitus & effluuia, magnetes quidam, aut corpora magnetica

gnetica

gnetica ſunt: hæc autem vim quamdam ſe mouendi habent; vt in magnete periclitari licet, qui in vaſculo innatans aquæ, tam diu vacillat & vertiginat, donec polos ſuos ſecundùm mundi polos direxerit ſub eodem cæli meridiano. Sed etiámne aquei nubium vapores magnetici ſunt, Gilberte? Vix credo affirmaturum: alibi Lib.4.c.1.
enim ais, ideò in mari acum nauticam ad propinquiora littora paulliſper deflectere à polo, quia in terrâ, non in aquâ eſt vis magnetica, quæ illam acum ſollicitat. Quâ igitur virtute aqueæ nubes magnetico & ſpontaneo impetu ſequentur terram? Sed etiámne auium carnibus & plumis vim ſe mouendi circulariter magneticam donas? Sine dubio facere debes. Sed ecce, non omnia corpora mixta æquè largiter de virtute magneticâ habent, nam ipſe fateris (& certum eſt) ferrum plus magnetis, quàm reliqua metalla, quàm ſilices, quàm ligna, quàm animalium carnes participare: igitur non omnia in altum proiecta & pendentia in ſublimi pari impetu terram in ortum ſectabuntur, ſed ferrum animoſiùs, reliqua ſegniùs & manifeſtè deſerentur, videbunturque ſemper reflectere ad partem mundi occiduam. Et vt omittam pluribus oppugnare virtutem illam magneticam, quam per tellurem totam, & vniuerſa corpora mixta terreſtria diffundit Gilbertus, non video, quomodo corpora illa paſſim non ſe ſollicitarent & traherent, quomodo ædificiorum lapides non ſe inuicem ad ruinam conuellerent, quomodo nauis è medio flumine, aut mari non perpetuò ad littus ſponte declinaret, inuitata à terrâ magneticâ littorali. Reſpondebit, ſcio, Gilbertus, non eſſe in terrâ & vulgaribus ſaxis tam acrem vim tractoriam, quàm in magnete, ideoque nos non experiri lignum trahi à lapide, aut calceos noſtros ſaxis platearum magnetico glutine affigi.

Sed λέγει γέ τι, οὐ μέντοι ἀληθές γε, *aliquid quidem dicit, non ta-* Plat. in
men certè verum, vt cum Niciâ illo Platonico dicam. Si enim tan- Lachet.
tum virtutis magneticæ habent, vt ſuſpenſa in aëre terram pari paſſu, & impotentiſſimo curſu comitentur ab occaſu in ortum, ſatis etiam, ſine dubio, habebunt, vt ſe inuicem trahant, cùm Philoſophi iſti magnetici exiſtiment, eamdem eſſe virtutem, quâ magnes in orbem ſe torquet, & alia trahit ſecum.

Itaque, quando aliud nil reliquum eſt, ſi me audiant Copernicani, aliquot Angelorum & Geniorum myriadas per inferiorem aërem, quouſque philoſophiæ Copernicanæ expedit, diſponent,

qui

qui nubes, volucres, tela, & omnia in altum proiecta illicò excipiant, & versus orientem pari cum terrâ celeritate ferant, id est, maximas nugas agent.

Argumentum igitur Aristotelis nullâ hactenus tergiuersatione eludere valuerunt Pythagorico-Copernicani. Veluti nec istud ei planè affine, facile possunt. Ex altissimâ turri pondus demissum non decidet ad pedem turris, in punctum perpendiculariter ei suppositum, sed longè satis inde versus occidentem; quandoquidem tempore quo pondus delabitur, terra gyratione suâ se subducat versus ortum.

Hunc enim nodum eodem modo quo præcedentem soluere debent, id est reuerà non dissoluent. Scio tamen fugam eos hîc aliquam in nauticâ quadam experientiâ inuenisse. Pondus, inquiunt, ex summâ trabe aluei nauis in punctum carinæ perpendiculariter suppositum directè cadit, etiamsi ipsa celerrimè agatur tumentibus velis: igitur & lapis è turri deciduus, ad perpendiculum cadere potest, licet terra, tamquam nauis, in ortum se gyret.

Sed exemplum istud non me valdè terret. nam tecti & carinæ nauis interuallum nimis breue est ad deprehendendum manifestè recessum ponderis versus puppim, siue partem posteriorem nauis. breuissimo quippe tempore à tabulato ad fundum carinæ peruenit, nec sat spatij ei datur, vt euidenter à perpendiculo deliret, & aliquantulum retrò cadat.

Deinde aër aluo nauis comprehensus nec liberè diffluens, simulque in naui, velut in vtre, nauigans, aliquantulum vrget decidens per ipsum pondus, ne ita retrò agatur atque si per laxum & patentem aëra rueret. Hoc enim nuper experientia Io. Gallęi Leodiensis Mathematici celebris me docuit.

Quippe narrabat se in mari Adriatico huius rei periculum fecisse, ac plumbeum pondus ex altissimo malo Venetæ triremis demissum, non decidisse ad mali pedem, quò perpendiculum collineabat, sed aliquantum (motu subducente nauem & promouente versus proræ spatium) retrocessisse ad puppim.


Audiant, quæso, hoc experimentum Copernicani, & cogitent idem euenturum ponderi in terram deciduo, si in eâ, tamquam naui, ab occasu in ortum circumuehamur.

CAPVT

CAPVT IX.

Tormenti ictu asserta terræ quies, quem declinare frustrà conantur Copernicani. Inter ambulandum etiam versus occidentem, aërem ab occasu in ortum reflantem experiremur.

DEprehendi etiam terræ quies hoc argumento potest. Tormentum eodem puluere, eodem globo, eâdem eleuatione, sub eodem parallelo, semel versus ortum, deinde versus occasum, aëre tranquillo explodatur. Si terra in ortum gyretur, dico longè breuiorem in orientem quàm in occidentem futurum ictum, si spatium eius in superficie terræ metiamur; cùm tamen experientia inueniat vtrumque parem. Schema enim præcedentis Cap. huc retrahamus.



Sit igitur iterùm Orbis terræ B C D E. & ex puncto C. explodatur tormentum versus orientem, impetu qui terrâ quiescente possit traiicere pilam in punctum superficiei terræ M. Dico, si terra iam rotetur versus eamdem partem, pilam casuram non in M. sed citeriùs, vt puta, in L. Nam intereà temporis quo pila volat per aërem, punctum C. rapitur versus L. & L. versus M. & M. versus D. Atque ita, quando pila finito spatio immobili imaginario, quod impetu suo transmittere potest (hoc autem à puncto C. imaginario ad punctum imaginarium M. extenditur) in terram cadet, non tanget punctum terræ M. quod inde per motum terræ versus orientem abscurrerit, sed decidet in punctum terræ L. quod ad locum puncti M. peruenerit. Itaque longitudo ictûs ab occasu versus ortum inter C. & L. in superficie terræ continetur. Et hoc quidem, si pilæ motum velociorem motu terræ constituamus. alias si terra velocior (vti reuerà est) aliud maius paradoxum eueniet, vt mox dicemus. Contrà verò, si tormentum ex puncto C. vertas in occasum, pila nec in N. nec in K. decidet, sed longius, puta vsque in O. excutietur. Spatium enim imaginarium quò impetus pilam ferre potest, extenditur à C. vsque ad K. quod interuallum est æquale interuallo C M. Cùm igitur, dum pila tormenti volat, punctum terræ mobile K. ei obuiam occurrat, & ad spatium imaginarium puncti N. perueniat, consequenter etiam punctum terræ O. intereà temporis ad spatium puncti K. pertinget, & pila in ipsum cadet, quæ aliàs in K. casura erat, si terra immota mansisset.

Quandoquidem verò, VVilhelmi Lantgrauij Hassiæ & Rothmanni Mathematici eius experimento, pila ferrea tormenti maioris, vno horæ minuto (qualia vna hora 60. continet) dimidium milliare Germ. id est 2500. pass. conficiat, quo tempore punctum terræ sub Æquatore 3 $\frac{1}{4}$ hoc est, ferè 4. milliaria Germ. præteruolat (si totum terræ ambitum, vt ferè iam Geometræ solent, 5400. milliaria Germ. complecti constituas:) duobus igitur minutis, quibus pila tormenti vnicum milliare Germ. perambulat, punctum terræ æquinoctialis milliaria Germ. fere 8. transcurret, quod etiam fatetur Keplerus. Hinc ergo fiet, vt dum *globus magnus*, ait, *duobus horæ vnius minutis perdurans in volatu per aërem, traiicit in occidentem per vnum milliare Germanicum in terrâ, interim terra subiecta Aequatori obuiet per octo milliaria.* Vnde hoc admi-

Lib. 1. Epit.

admirabile ſequi videtur, quidquid detrectet Keplerus, Quòd globus, inquam, 9. milliaria in occidentem, intra duo illa horæ minuta conficiat: vnum videlicet motu ſuo quo per aërem volat, alia octo per terræ vertiginem, quæ intereà temporis ab occidente in orientem globo obuiam venit. nam ſi globus in cælum directè exploſus fuiſſet, & poſt duo horæ minuta recidiſſet, in punctum terræ octo milliaribus verſus occidentem inde diſtans relapſus eſſet, vt ex Cap. præcedenti intelligis. nam punctus terræ 8. milliaribus occidentalior quàm ſit locus tormenti vnde excutitur globus, duobus horæ minutis ad ſpatium imaginarium, in quo erat tormentum, motu terræ appellit. Cùm igitur ipſe prætereà globus volatu ſuo vnum milliare verſus occaſum emetiatur, in nono milliari, in ſuperficie ipsâ terræ numerando, à loco exploſionis deficiet & cadet.

Veluti autem hic ictus occidentalis eſt iuſto longior, ita contrà, orientalis eſt breuior, imò omnino nullus, & ridiculum planè quid hîc accidet. Nam globus ex C. verſus orientem excuſſus, non cadet in punctum terræ M. vel L. ſed retrò planè verſus occidentem, vt puta in K. ſeptem totis milliaribus à loco exploſionis. Si enim globus pari cum terrâ celeritate volaret, in fine duorum horæ minutorum cùm euaneſcit impetus, adhuc in puncto C. & in ipſo tormenti tubo hæreret, quandoquidem terra, & tormentum quod ei inſidet, motu ſuo verſus ortum, globi in eamdem partem velocitatem adæquaret; vnde neceſſe foret, neutrum ab altero relinqui, ſed pari omnino paſſu incedere. nunc verò, punctum terræ C. milliaria 8. in orientem, cùm globus tantum vnum percurrit: igitur vbi poſt duo horæ minuta ictus deficit, punctum C. cum tormento, rotis, & incenſore pulueris, 7. milliaribus anteceſſerit. Veluti ſi Louanio verſus Coloniam, quæ nobis ad ortum, eodem momento temporis diſcedant nuntius pedeſter & veredarius, & hic vnâ horâ (ſi poteſt) 8. milliaria, ille vnicum tantùm conficiat, in exitu horæ, nuntius 7. milliaribus retrò, veredarius antè erit.

Sed hæc tamen in maximo & æquinoctiali terræ parallelo tantùm euenient, vbi rapidiſſimus eſt terræ motus, in Germaniæ verò & Belgij minore parallelo 4. circiter milliaria Germ. peruolamus nos, dum globus tormenti vnum abſoluit. Vnde globus Louanio verſus oppidum Thenenſe, id eſt, in orientem exploſus, non 7. milliaribus retrò verſus occaſum, ſed 3. ſolum, hoc eſt, in vr-

bem Bruxellensem circiter recidet. Quæ omnia ridicula sunt, & digna helleboro.

Nondum tamen animis cadunt, neque tormentorum istis ictibus terrentur Copernicani. *Non rectè fit*, inquit Keplerus, *quòd comparantur spatia mundi, quasi terrâ longißimè absente ab emisso globo.* Quippe agimus de globo iuxta terram, & intra vincula virtutis eius attractoriæ volante. *Nam si globus bombardicus*, ait posteà, *exploderetur eâdem vi pulueris, positus extra virtutem telluris attractoriam* (vt, supra sphæram Lunæ, aut Martis) *transuolaret is non tantùm per vnum aut per octo milliaria spatij mundani, sed planè per incredibilem eorum numerum.* Sic ergo argumenti nostri vincula iactat, & excutere nititur Keplerus. *Equidem globus magnus*, ait, *duobus minutis horæ vnius perdurans in volatu per aërem, traijcit in occidentem per vnum milliare Germ. in terrâ, interimq́; terra subiecta Aequatori obuiat per octo milliaria: quare respectu spatij mundani* (spatium imaginarium & immobile appellant Philosophi) *rapitur globus in contrariam motûs violenti plagam (scilicet in orientem) septem milliaribus, nihilq́; prodest ei aliud explosio in contrariam plagam, nisi quòd octauum milliare absumit, facitq́; vt globus tardiùs in orientem sequatur. Excutere enim non potest puluis globum penitus veluti de manibus telluris, & semper ille in virtute trahente hæret irretitus: si rupit prehensionem indicis, hæret in prehensione succedentis minimi digiti. E contrà, globus in orientem emissus, eiusdem temporis interuallo promouetur raptu ipsius terræ per octo milliaria, additq́; nonum ipse, violenter quippe explosus itidē in ortum. Ita siue in orientem, siue in occidentem explodatur, semper in orientem fertur* (motu scilicet terræ quo abripitur) *tantum paullò plus hic, quàm ille. At hoc compositum spatium mundanum nil attinet ad spatium in terrâ, quod homines metiri possunt. Hoc autem vtrimque ferè idem est, quia vis eadem, quia vincula magnetica vtrimque eadem, ex quibus globus velut eripitur, inq́; vlteriora transponitur.* Rem etiam istam exemplo ponit, quod nauta quispiam e prorâ nauis in puppim, & rursus è puppi in proram excutit, obscurè satis Keplerus declarat: quod mox in eum, quando μηλομάχειν iuuat, retorquebimus. Hoc autem paullò antè dicere voluit Keplerus, Globum tormenti explosum in occasum duplici motu moueri, vno violento & à puluere incusso versus occasum, altero à virtute attractrice telluris; quo cum toto aëre, auibus, nubibus abripitur versus ortum. Si globus iste in super-

Lib. 1. Epit.

ſuperficie terræ immotus iacêret, motu terræ ſub Æquinoctiali intra duo horæ minuta octo milliaria Germ. in ortum decurreret; verùm, quia iam puluere tormenti in occaſum per vnum milliare retorquetur, idcircò in ſuperficie terræ vno milliari reciprocat, & in ſpatio imaginario, propter concurſum ytriuſque motûs, tantùm 7. milliaria verſus ortum pererrat; cùm tamen punctum terræ, vnde exploſus fuit, octo intereà milliaria (quia non retorquetur cum globo in occaſum) percurrat.

Igitur in ſchemate ſuperiori globus ex C. verſus occidentem excuſſus, cadet in punctum terræ N. quod milliari vno Germ. à puncto C. diſtare iam ponamus. eò enim vſque vis pulueris eum tulit, atque ita octo milliarium iter, quod confeciſſet ſi in C. manſiſſet, vno milliari curtauit, reciprocando vſque ad N. verſus occaſum. Si verò in orientem tormentum conuertamus, globus nouem milliaria Germ. in eam partem motu terræ & pulueris ſimul circumcurret: nam à terrâ octo, à puluere vnum milliare habet. nec tamen longiùs quàm in L. vnico ſcilicet milliari à puncto C. decidet, quia cùm tota terra vnà cum globo, vno agmine in ortum abeat, notari non poteſt, quantum ſpatij imaginarij globus motu terræ decurrat, ſed ſolummodò quouſque vi pulueris in ſuperficie terræ ſe promoueat, & motum terræ verſus eamdem partem tendentem anticipet.

Breuiter, imaginatur Keplerus globum quaſi in ſuperficie terræ, à quâ ſuſtentetur, volui; quandoquidem vis illa terræ magnetica diffuſa per aërem, vincula globo inijciat, & cum terrâ haud ſecùs abducat, atque ſi terræ ſuperficiem contingeret. Aut ſi verum exemplum mauis: volue globum aut Kepleri pomum, primùm à prorâ ad puppim contra curſum nauis, & rurſus deinde à puppi ad proram ſecundo curſu: iam videbis, ſi impetus par fuerit, totidem reuolutiones pomi in foris ſiue tabulato nauis, in vnam & alteram partem, ac vtroque motu æquale ſpatium comparatione nauis peragi, licet non comparatione ſpatij imaginarij, aut immobilis aluei fluminis.

Verùm, perperàm comparatur volatus globi cum pomo ſic volutato, aut cum homine in naui ambulante, quandoquidem tam pomum quàm homo à naui ſuſtententur, globus verò per aëra volet, non attiguâ naue. Vtendum igitur potiùs ſimilitudine pomi, quod nauta à prorâ ſecundùm longitudinem nauis, proiicit gu-

bernatori qui retrò sedet ad clauum. sic enim pomum, instar globi tormentarij, aërem secat nec tangit nauim. Si autem pomi impetus à prorâ ad puppim, & rursum à puppi ad proram æqualis sit, & tam validus, vt per longitudinem nauis quiescentis præcise ferre pomum possit, dico, naue plenis velis currente, iactum pomi à prorâ ad puppim contra motum nauis, vltra puppim in flumen casurum, ac proinde respectu nauis fore longiorem reciproco iactu, à puppi ad proram qui comitatur nauis motum. Huius enim rei certa & facilis est experientia. Ratio est, quia quando pomum ad puppim proiectum moram trahit in aëre, puppis motu nauigij descendit versus spatium proræ siue in quo prora erat, cùm pomum cœpit iaci: vnde puppis sub iactum intrat, & locum aluei fluminis deserit, in quem cadere pomum debet; cadetque proinde in flumen ipsum vltra puppim. Contrà verò, quando versus proram, secundùm nauis cursum, pomum iacitur, prora ante ipsum fugit, ideoque in nauem ipsam decidit citra proram.

Simile quid igitur globo tormenti eueniet, nunc contra, nunc secundùm terræ motum excusso, longiorque in occasum quàm in ortum futurus est ictus, si vtriusque longitudinem in superficie terræ, non in spatio imaginario metiaris.

Quid aduersus ista regerent Copernicani? Pomum, inquient, à prora ad puppim traiectum, non retrahitur motu nauis, veluti globus motu terræ reducitur ab occasu versus ortum, vnde hic non longiùs, respectu superficiei terræ, expellitur, quàm terrâ quiescente. Sed frustrà sunt. Nam inprimis Gilbertus omnibus corporibus è terrâ mixtis, quale etiam est lignea nauis, vim magneticam & attractricem inesse credit. Igitur nauis pomum versus proram retrahet, non secùs ac terra globum versus orientem.

Sed demus tamen ligno non inesse, inesse verò terræ vim attractricem; non longè tamen hac fugâ euadent. Nam nauim terrâ & saburrâ impleamus, & res eodem modo accident. Vel, si mauis, pro naue saburratâ accipiamus insulam natantem, qualium apud Audomaropolim in nostrâ Artesiâ habemus copiam: &, ne forte vertigo terræ ab occasu in ortum perturbet hoc experimentum, agatur instar nauigij insula à meridie in septemtrionem.

Ecce iam, pomum, tormenti globus, aut quodcumque graue supra insulam contra eius motum, à septemtrione in meridiem volans,

volans, non magis à terrâ insulari in septemtrionem, quàm si insula nauis lignea esset, retrahetur. aliàs enim quæcumque aues insulam talem à septemtrione in meridiem superuolarent, reuocari se experirentur, & morosior esset ille volatus, quàm alter à meridie in septemtrionem, qui fit secundùm insulæ motum. Vnde non immeritò etiam miratur Tycho, quomodo in eodem tormenti globo versus occasum excusso *alter motus alterum nihil prorsus impediat, quò minùs omnia ita exquisitè eueniant in tam concitatâ motione terræ, ac si ipsa prorsus quiesceret.* nam aër saltem, qui omni vento rapidissimo celerior in orientem cum terrâ volat, globum in aduersum nitentem retardabit, quamquam vis terræ magnetica cum nihil reuocaret. Lib. 1. Epist.

Hinc etiam nos tranquillo aëre, segniùs & veluti reflante vento, in occasum ambulabimus: & discrimen euidentius erit, quò propiùs ad Zonã torridam & terræ Æquatorem accesserimus, vbi maximâ rapiditate quodque punctum aëris terræ contigui, singulo quoque minuto horæ, 4. fere milliaria Germ. in ortum aufugit.

Nec multum refert, quòd idem etiam terræ motus nos abripiat, & veluti in eâdem naui cum aëre nauigemus: quia saltem motus quo contra fluxum aëris in occasum tendimus, non est aëri communis, sed obnitendo submouere ipsum & ad partem terræ occidentalem repellere debemus; vbi contrà, in ortum, quò aër est torrens, ambulando, secundo veluti flatu adiuuabimur. Et huius discriminis experientia erit clarior, si quis in lacu stagnante versus occasum & ortum inambulet; nam aquæ densitas manifestiùs sustinebit, aut incitabit ambulationem. Candelarum etiam & lampadum nostrarum flammulæ, si versus occasum, contra aëris torrentis fluxum, transferantur, magis in ortum annuent & reflectentur quàm in occasum, quando secundùm aëris lapsum, versus ortum deferentur.

Sed hoc etiam ferè effugerat. Keplerus, dum pro motu terræ satagit, & vndique versat acumen, reperit, iactum pomi secundùm & contra motum nauis proximè, inquit, esse æqualem; quia à puppi versus proram proijciens meliùs firmat pedem, nauem, quantum valet, pede repellendo sursum; vbi quando à prorâ versus puppim remittit istud tam celebratum pomum, nauis fallit pedem, nec ei (vt firmiter ad iactum defigatur) resistit contrario motu. Idem ergo transferri vult ad tormenti ictum. Nam in re polemicâ Lib. 1. Epist.

exper-

expertum est, recessu faciliori tormenti debilitari ictum. Igitur in ictu occidentali, terra versus ortum decurrens non obnititur tormento recedenti, cùm recessus sit etiam versus ortum; vt proinde necesse sit ictum versus occasum esse debiliorem, nec oportere tantoperè mirari, si, quantumuis terra in occursum eius veniat, longior non sit ictu orientali.

Sed tenuia hæc sunt, & aranearum telæ quas musca valeat perrumpere. Nam ad breuem per nauim pomi iactum, non opus tantoperè niti & pedem defigere, vt ideò impetus sit tantò debilior. Tormentum etiam ita collocari potest, vt rotæ & cetera quibus innititur, radant terræ superficiem, nec duriùs impingant recedendo versus occasum contra terræ motum, quàm versus ortum. Deinde recessus versus ortum facilior, non tantum debilitare & curtare longitudinem ictûs potest, quantum eam producit motus, quo terra ei occurrit ab occasu in ortum, vt ex ante dictis facilè intelligitur. Denique subtilitatem istam Kepleri retundit quilibet lapidis ab ortu & occasu leuis iactus, qui sine magno conatu fiat & defixo in terram pede. Postremò, argumenta quibus proximo Cap. ostendimus, aërem & grauia in eo pendula non posse cum terrâ in orbem conuerti, satis refellunt ea quæ responsitant hîc Copernicani, & motum illum elidunt, quo dicunt globum tormenti perpetuò à tellure raptari ab occasu in ortum.

Sed alio etiam telo, & è veteri Ptolemæi armamentario eos oppugnemus. Antè tamen libet Lansbergij hîc μετεωρίαν & inconsiderantiam admirari, an ridere. Ipse enim globum æneo tormento explosum celeritate æquat Copernicanorum telluri; cùm tamen ex Tychone & Keplero (& ipse Lansbergius confitetur) ostenderimus, punctum telluris sub Æquatore, minuto vno horæ, 4. paullominùs milliaria Germ. percurrere, quo tempore, Lantgrauij & Rothmanni experimento, quibus Tycho & Keplerus crediderunt, dimidiatum circiter milliare Germ. id est 2500. pass. tantùm tormenti globus pererrat; aut certè, vt alij, meliori fortè puluere & tormento expertos se narrant, 3000. pass. hoc est, milliare vnum mediocre Belgicum. Verùm globi celeritatem eousque, opinor, exaggerauit & ad octuplum incitauit Lansbergius, vt minùs terræ vertiginem vereremur, si velocior non esset, quam volatus pilæ tormenti ænei. Quamquam, si quis eiusmodi pilæ insideat, quæ vno horæ minuto non vltra etiam milliare Belgicum præter-

præteruolet, non valdè tutum præstare audeam à capitis vertigine, cùm 60. milliaria Belgica horæ vnius spatio traijciat.

CAPVT X.

Ædificia, & terra ipsa dissiliret tam rapido motu. Et quomodo tamen hoc periculum auertere conantur Copernicani.

OBiecit olim Pythagoricis Ptolemæus, ædificia omnia ruitura, arbores eradicandas rapidissimo illo terræ motu ab occasu in ortum. Si etiam gleba terrestris tam languido iactu dissilit, cur terræ etiam globus in puluerem tam insanâ vertigine non dispergitur? Mirum sanè, quomodo sub tectis sæpè malè nixis, & mapalibus argillaceis durare audeant Copernicani.

Audi etiam bilem & simul risum Bodini. *Terram*, inquit, *grauitate suâ ac pondere brutam ac solidam, sursum, deorsum, circa suum centrum, & circa solem simul, ac titubante motu raptari, nemo sanus* (ergo sententiâ eius insaniunt, & ad agnatos duci debent Copernicani) *aut leuissimè Physicis disciplinis imbutus vmquam existimabit: cùm leuissimâ terræ concussione vrbes, arces, oppida, montes subrui videamus? Ac profectò vrbanè quidam aulicus, cùm in cœnâ coram Alberto Prussiæ Duce, Copernici opinionem Astrologus aliquis tueretur, conuersus ad falerni ministrum,* Caue, *inquit*, ne lagena effundatur. Sed nihil timet Copernicus. Imò, *frustrà timet*, inquit, *Ptolemæus, ne terra dissipetur, & terrestria omnia, in reuolutione factâ per efficaciam naturæ, quæ longè alia est quàm artis, vel quæ assequi possit humano ingenio.* Et addit: *Sed cur non illud etiam magis de mundo suspicatur, cuius tantò velociorem esse motum oportet, quantò maius est cælum terrâ?* Et hancce magistri rationem egregiè prosequitur & amplificat Gilbertus. *Illi stupidi*, inquit, *qui turres, templa, ædificia, ex telluris motu concuti & dirui necessariò existimant, homines antipodes timere possent, ne in aduersum Orbem labantur, aut naues cùm vniuersum Orbem terrarum circumeunt, ne (vt à nostri horizontis plano inclinauerint) in contrariam cæli partem ruant.* Et accendit etiam calorem. *Sed istæ mulicularum aniles ineptiæ, & philosophantium quorumdam stupor, qui cùm de maximis, & de mundi fabricâ differere nituntur & audent aliquid, vix vltra crepidam sapere quidquam possunt.*

Lib. 5. Theat.

Lib. 1. c. 8.

Lib. 6. c. 5.

Lib. 6. c. 3. Et alibi, postquam Ptolemaicam cæli rapiditatem satis exaggerauit, tot scilicet partibus vertigine terræ incitatiorem, *Terrestris verò globus totus*, ait, *cum omnibus suis appendicibus placidè nullo resistente commouetur. Quare vanè, superstitiosè concussionem corporum timent pusillanimi quidam, L. Lactantij more, qui antipodes & globosum vndique terræ ornatum, indoctissimi vulgi & importunissimorum hominum more deridet.*

Lib. 2. c. 23 Ac vt nos omni timore euacuet, alicubi addit, *terrarum fundamenta magneticè connecti, coniungi, ferruminari. Quò minùs*, inquit, *Ptolemæus Alexandrinus eiusq́; sectatores, & Philosophi nostri, si terra circulariter moueretur, dissolutionem eius vrgeant, aut inhorrescant.*

Lib. 1. Epit. Keplerus etiam, terræ motu, inquit, *ædificia non quassantur, quia motus est æquabilis, nec impingit. Omnia enim ista in intimo sinu ac complexu virtutis attractricis, aërisq́; & montium vnà euntium collocata & sic circumlata, summâ nihilominùs quiete fruuntur. adeoq́; ne in nauigijs quidem per rapidissimos fluuios æqualiter delatis vlla sentitur inquietudo, nec euertuntur pocula vino plena.* Hoc ergo vult: Cùm vniuersa eodem communi agmine in orientalem mundi plagam sine collisione mutuâ incedant, nulla est caussa, cur confringantur, aut dissiliant. Non colliduntur autem, quia motus ille terræ & terrestrium est naturalis, ideoque compositus, non inconditus, aut more nauigij tempestate agitati, hàc illàc vacillans. Deinde, si istud non sufficit, adijcit Gilbertus vim magneticam, quæ partibus terræ velut pro calce sit, quibus alligentur ne diffluant. Denique, si terræ dissolutio à motu isto metuenda est, maius cælo erit periculum, cuius raptus tantò est incitatior, quantò amplior est circumferentia cæli ambitu terrestri. Igitur *fractus* potiùs *illabetur Orbis, & pauidos ferient ruinæ.*

Verùm hæc non sufficiunt (tam timidi sumus) ad propulsandum à nobis periculum.

Nam vt à nouissimo isto incipiam: cæli vitrei non sunt, vt tam facilè dissiliant, sed σιδήρεοι, *ferrei*, si Homero credimus, id est, *solidissimi quasi ære fusi*, & ita à diuino Opifice fabricati, vt illam, & longè fortasse maiorem rapiditatem valeant perferre. Terra verò plurimis locis, & maximè circa superficiem, vbi rapidissimus esset motus, puluerulenta, friabilis, & materiæ ad perferendum tantum impetum, pessimè cohærentis est. Nec refert (quod à Maurolyco

Odyss. O. Iob 37.

rolyco tam auidè arripit Gilbertus) intestina Orbis terræ fortassis esse saxea, & velut in corpore humano ossa quæ sustineant terram molliorem ceu carnem. Nam licet saxea illa ossa magnæ matris forsitan raptu terræ non confringantur, quomodo caro, id est, terra mollior & fluxa, ferre poterit tantum impetum? Maurolyc. Dial. 1. Cosmogr.

Sed virtute magneticâ partes alligantur, & inuicem se continent ne diffluant, ait tandem Gilbertus. Nugæ. nimisquàm enim compertum est, minimâ vi à se diuelli, & mollissimâ etiam venti aurâ dispergi terræ puluerem. cur igitur torrentissimus ille terræ motus non faciet saltem tantumdem? Et accipiamus exemplum trochi puerorum, cuius vertigini Keplerus comparare solet terræ rotationem. Ille autem puluerem, aquam, & quidquid capiti eius infuderis, excutit, nisi adhæreat tenacissimè: cur ergo terra, tantò quàm trochus citatior, non suum puluerem, maria, lacus, flumina, nos ipsos, & quidquid dorso eius non pertinacissime cohæret, discutit & exspergit in auram?

Sed motus terræ est æquabilis, non inconstans & fluctuans, inquit Keplerus. Sit ita sanè. verumtamen trochus non tantùm adhærentem puluerem excutit quando axis eius vacillat, vt solet cùm languescere & emori incipit vertigo; sed etiam, & quidem maxime, cùm polo suo rectissimè insidens, intra axem ipsum horizontis, velut immobilis circumagitur. Idem igitur terræ eueniet, etiamsi circa suum axem tam tranquilla, quàm trochus gyretur. Et rem istam vehementer adiuuabit annua terræ periodus in Zodiaco; quando quidem duorum motuum in eodem mobili rixa (vt omittam tertiam illam librationem anticipationis æquinoctiorum) acriùs mobile exagitet & succutit, vt excutiat quæ non tenaciter ei adhærent. Sic enim trochus (ne ab isto exemplo abeamus) duplici vertigine, & circa proprium axem, & vnà circum aream aliquam flagello actus, magis tergitur & se excutit, geminato ad aërem affrictu: quidni igitur terra idem, & magis faciat? Duplex enim ista trochi vertigo, vera & concinnissima imago est duplicis motûs telluris Copernicanæ. nam diurnam circa axem suum reuolutionem habet, & simul circa aream Zodiaci annuam. Et ne putes hanc posteriorem, esse languidum & elumbem quemdam motum, qui muscam non possit excitare terræ insidentem, Keplerus, amplitudinem gyri, quem terra quotannis emetiri debet, contemplatus, affirmat, centrum terræ vnicâ horâ illo motu mil- Lib. 4. Epit.

liaria Germ. 740. percurrere, vnde tot partibus cottidianâ terræ reuolutione rapidiorem esse, quâ rapidissima terræ superficies sub Æquatore, eodem tempore horario tantùm 225. milliaria Germanica Kepleri calculo, emetitur.

Sed motus ille terræ & terrestrium est naturalis, ideoque non frangit, aut perturbat suum mobile, veluti motus violenti solent, inquit Keplerus.

Verumtamen, vtrumque motum esse terræ naturalem nemo facile dederit. Ille ergo qui contra vel præter naturam mobilis erit, frangere, aut dissoluere ipsum poterit. Deinde, sit sanè vterque naturalis: motus tamen localis naturalis nónne aliquando mobile dissoluit? nónne gleba terræ, inquam, motu naturali deorsum præcipitans dissoluitur & dissilit in ipso lapsu? nónne deinde motus animalium progressiuus naturalis est, & tamen membra nostra laxat, luxat, & dissoluit? Terra autem, si Keplero credimus, magnum quoddam animal est, & motus diurnus circa centrum ab animâ eius excitatur. *Qui Copernicum sequitur*, ait alicubi, *volutionem globi telluris diurnam, perpetuam & æquabilissimam inter huius animæ* (telluris) *munia rectissimè accensebit.* Quomodo igitur non frangitur, aut fatigatur istud animal tam volucri & insano raptu?

Lib.4. c.7. Harmonic.

Quòd nauis ocyssimo volatu velificans non dissoluatur, non miror: quia summum est, si 2. milliaria parua Germ. id est, 8000. passus vnâ horâ conficiat (vt Brodæus à nautis mediterranei se accepisse narrat, & nostri in Oceano Flandrico vix augent, nam 3. milliaria Belgica, hoc est 9000. passus donare solent) quo tempore globus terræ sub Æquinoctiali 225. milliaria Germ. maiora, 5000. passuum, peruolat, vt proximè dicebamus. Deinde nauigij partes firmiter inuicem connexæ sunt, & mollissimo aquæ elemento portantur: partes verò globi terrestris vbique dissutæ. Ad hæc, maria, flumina, & quantum aquarum est, liquentis ac fluxæ naturæ sunt, vt proinde tantam terræ rapiditatem sine fluctu & perturbatione nequeant perferre. Nam quando corpus heterogeneum motu etiam maximè naturali fertur, non omnes eius partes parem impetum recipere possunt, sed aliæ alijs magis festinant, & quæ mobiliores sunt, motu citatiore à ceteris se diuellunt. Ita enim gleba terræ quæ partes aliquas ceteris ponderosiores habet, dispergitur in lapsu; & id etiam, opinor, eueniret, etiamsi sine vllâ

ad

ad aërem allisione rueret per vacuum. Simili igitur modo, terræ & aquæ globus ex partibus heterogeneis & tam malè hærentibus compactus, quarum vna capacior est motûs quàm altera, dissiliet duplici illâ vertigine, & ædificia, præsertim infirmiora, arbores non benè mixæ, animalia omnia, ac totum aquæ elementum relinquentur retrò, & à montibus, & durioribus terræ partibus præuertentur versus orientem. Huc etiam conferet, quòd aër terræ contiguus, quia lubrici & fluxi corporis est, nequeat pari celeritate comitari terræ raptum; vnde montes, ædes, arbores, & vniuersa in superficie terræ eminula, in aërem orientis impingent, & impellentur, aut certè laxabuntur ad ruinam.

Sed quomodo igitur pocula vino plena, imò cyathi in naui ventorum alis volante, non euertuntur? inquiet Keplerus. Quia, inquam, intra aluum nauigij fortè strata fuit mensa, & sine iactatione aut succussione est nauigatio. tunc enim aër vndique naui vtcumque conclusus non fluctuat, sed placidè transfertur eodem nauigij motu. Secùs verò eueniet, si sub dio ponatur mensa; nisi læuitas & rotunditas poculorum cyathorumque mollem aëris impulsum fallat, & declinet sine lapsu. Ex his igitur, opinor, intelligis Ptolemaicos non esse δειλὰς, *ignauos*, qui ædificijs suis & sibi malè metuunt à tam insanâ terræ vertigine, sed Copernicanos potiùs μαινομένους, *insanos*, vti Aristoteles appellat, qui nimis intrepidi sunt, quales, inquit, Celtæ qui σεισμὸν, καὶ τὰ κύματα, *terræ motum, & fluctus* non metuunt. Lib. 3. c. 10. Ethic.

CAPVT XI.

Sonitus perpetuus siluarum proderet terræ vertiginem. Auram ab oriente perpetuò afflantem, locis editioribus perciperemus. Campanæ & omnia à parte orientali sonantia difficiliùs exaudirentur.

EX sonitu etiam siluarum, montium, ædificiorum deprehendi posse terræ, si quæ esset, vertiginem, quidam non de nihilo existimant.

——si paruo etenim momento
Cum sonitu impulsus fremat, atque remugiat aër, Buchan. in Sphær.
Quem fore speramus sonitum? quæ murmura tellus

 Concita

Concita præcipitem dum se contorquet in orbem,
Totą; simul siluæ, præruptaą; culmina montium
Auram indignantem scindant, lacerentą;, forentą;?

Si pueri nostri concauo & in latus pertuso, maiori illo trocho tantos edunt mugitus, quid tot montium cauitates facient, vbi aërem vertigine telluris raptum discerpunt, &, vt cum Epicureo isto dicam —— *magno clamore trucidant?* Quæ marium deinde, lacuum, fluminumque tempestates, murmura & fragores? Lucret.

Negabunt tamen, & in vtramque aurem dormire nos iubebunt Copernicani. nempe quia ædificia, siluæ, &c. non scindunt & perforant aëra, sed aër inter ista mixtim ac in eodem comitatu tacitus circumagitur; quomodo arbor in flumen fortè delapsa, secundo aquarum agmine, silentio defluit, neque cum circumfusâ aquâ rixatur.

Sed fuga ista facilè præcluditur, si cogites quod præcedentibus Cap. disseruimus, aërem pari celeritate non posse comitari terræ raptum, nisi ab Angelo aliquo, aut Deo immediatè impelli dicant, id est, nisi nugas Copernicani maximas nugentur. Mons igitur aliquis in aërem lentè, aut saltem non æquali passu, ante se fugientem impinget & franget in sonum. idem turres, ædificia, siluæ omnes facient, eritque sonitus ille vocalior, quò omnia ista excelsiora erunt: quandoquidem motus aëris iuxta terram velocissimus sit, & scansim sursum ita paullatim elanguescat, fatente Copernico, donec in supremâ aëris regione planè euanescat: hæc enim caussa est, inquit Copernicus, cur cometæ videantur refugere in occasum; quia, inquam, aër in quo pendent non sequitur raptum terræ versus orientem. Iuga igitur montium aërem ibi pigriorem rapidissimo impetu secabunt, sibilos & mugitus ciebunt, & cælum ac terram implebunt tumultu.

Epist. ad Nob. Anglos. Hinc etiam patet, non vanum esse quòd Fienus & alij Copernico obijciunt, ventum scilicet perpetuò nobis à cardine orientis afflaturum, aut certè venti imaginem: quia nempe, aër qui cursum terræ assectari non poterit, videbitur reflare in occasum.

Lib. I. Epit. Quod nec Keplerus planè diffitetur. *Posset*, ait, *talis ventus orientalis in summis montium fastigijs concedi, & ex hac refrigeratione causa quæri perennium niuium etiam sub Zonâ torridâ: item refrigerationis ventorum orientalium, amœnitatis matutinæ, & similium. Attamen*, inquit, *non est necesse vt concedamus quod obijcitur.*

Aura

Aura enim ætheria tot vicibus tenuior est nostro aëre quem hauriunt animantes, vt tranquillior & sic insensibilior sit attritus ad auram ætheriam mille milliarium in vnâ horâ, quàm attritus faciei hominis ad aërem in vnâ horâ per dimidium milliare illum perambulantis.

Sed frustrà Keplerus sic extenuat auram illam ætheriam; nam in Alpibus & ceteris montibus, qui cacumina intra nubes condunt, aër tam subtilis non est, quin ventus ibi spirans facilè percipiatur: imò in altissimis illis Peruuiæ montium catenis, quibus Alpes compositi, humiles colliculorum verrucæ pæne videri possint, flatus quidam, etsi tenues, frigore tam penetrabili viatores excipiunt, vt etiam plerosque necent, & vix periculum se incolumem euasisse Ioseph Acosta testetur. Non est igitur tam insensibilis ætheria illa in summis montium cacuminibus aura, quàm vellet Keplerus, & quin perpetui venti orientalis imaginem facillime is experiatur, qui adeò volucri telluris vertigine in eâ rotetur. Lib. 3. c. 9. Histor. natur.

Adde iam alterum terræ motum in Zodiaco, quo terra omni tormenti globo infinitò pænè rapidior, singulâ quâque horâ 740. milliaria Germ. circumuolat in orbe annuo: quî fieri potest, vt tam violento raptu aër circà non fluctuet, aut quænam causa esse potest, quæ ipsum cum orbe lunæ, & totâ regione elementari pari cum terrâ velocitate circumferat? Sit sane terra animata, quando tam pertinaciter id placet Keplero, & dentur ei etiam alę, quibus volet per orbem annuum: an aër tamen quoque animal est, & anima eius pares omnino cum animâ terrestri vires habet, paria motûs instrumenta, vt pari vndique semper volatûs celeritate cum terrâ possit contendere? ægroti veteris sunt hæc somnia.

Quemadmodum igitur, si quis globo tormenti in orientem exploti insideret, venti continuam speciem ex aduerso reflantem experiretur, idq; à duplici globi motu, vno circulari circa centrum, & altero recto in orientem; ita nos globo terrestri, duplici eiusdem prorsus imaginis motu agitato, inequitantes, simili ab ortu aurâ afflaremur: nam licet aër cum terrâ versus orientem globi motum comitetur, iuxta mentem Copernicanorum; quia tamen globus ab impetu flammæ incitatus, velocior est quàm aër, ideò venti ab ortu flantis sentit quamdam imaginem: igitur & nos in terrâ volantes sensum aliquem eius venti habebimus, quia terram itidem aëre velociorem esse oportet.

Hoc etiam iam incidit in mentem. Soni omnes ab ortu in occasum

casum venientes longè difficilius exaudientur, quàm retrò ab occasu in ortum dispersi. Sic enim experimur in fluminibus, in quæ lapis proiectus circulos breuiores sursum contra fluxum aquæ facit, quàm deorsum; lapsu videlicet aquæ adiuuante & impellente circulos inferiores in maiorum circumferentiarum amplitudinem. Soni verò in aëre eodem prorsus modo, circulatim & successiuè in orbem, cum fluctu aut molli vibratione aëris, propagantur. Hæc enim vnica vera ratio est, cur aurâ reflante soni difficilius & ex breuiori interuallo, contra aëris cursum, ad aures nostras appellant. Si igitur aër cum terrâ perpetuò in ortum fugiat, fac sonet à parte ciuitatis orientali campana: circuli aëris, & species soni quæ eos comitantur, aduersus aëris fluxum non tam longè in occidentem dispergi poterunt, quàm si campana sonuisset à latere occidentali. Hoc tamen manifestâ experientiâ refutatur: nam cessante vento, ab omni parte ciuitatis, ex æquali interuallo sonus vnâ eademque facilitate & velocitate ad aures venit. Signum ergo non obscurum est, aërem in nullam partem fluere, sed immobilem & libratum vndique consistere.

Plures rationes & experimenta congeri in diurnum terræ motum possunt, sed ex ijs quæ iam attulimus nata, aut certè simillima sunt, quibus proinde Libellum nolim ex superuacuo onerare. Quamquam autem initiò à me monitum sit, sublatâ diurnâ telluris vertigine, sponte vtrumque alium corruere, nec infitentur Copernicani; quædam tamen sunt quibus motus annuus distinctè etiam potest oppugnari.

CAPVT XII.

Motus telluris annuus circa solem reiectus, propter immane & ἄναστρον, quod inter Saturnum & fixas necessariò Copernicani interijcere debent interuallum. Inferi etiam non in terrâ, sed in sole collocandi essent.

Lib. 2 c. 14. C. xli. MOtum telluris annuum Philolai & Pythagoricorum, refellit olim Aristoteles, quia, Τούτου συμβαίνοντος, ἀναγκαῖον γίγνεσθαι παρόδους, καὶ τροπὰς τῶν ἐνδεδεμένων ἄστρων. τοῦτο δ' οὐ φαίνεται γιγνόμενον· ἀλλ' ἀεὶ τὰ αὐτὰ κατὰ τοὺς αὐτοὺς ἀνατέλλει τε καὶ δύεται τόπους, *Si hoc esset, mutationes, & conuersiones stellarum fixarum fieri, foret necesse.*

neceſſe. hoc autem fieri nõ videtur: ſed eadẽ iiſdem ſemper locis oriuntur & occidunt. Cùm enim oculus noſter tellure vectus, propiùs accederet & eleuaretur ad ſtellam aliquam fixam motu illo annuo quo ſurſum deorſum ambit ſolem, ſidus illud maius & plenius appareret; eodem planè modo, quo Planetarum ſuperficies ad ſenſum dilatari Copernicani docent, cùm tellus motu illo eodem propiùs admota ipſis fuerit. Illa enim, inquiunt, eſt cauſa, cur Mars acronychus, (id eſt, veſperi ſurgens cùm ſol occidit) tam magnus appareat: quia nempe tellus inter ipſum & ſolem interpoſita, longè propinquior ei eſt, quàm vbi ſol inter tellurem & Martem eſt medius, vt ex ſchemate Cap. 1. perſpicuè intelligis.

Deinde etiam, ſtellæ fixæ retrogradæ, directæ, & ſtationariæ erunt, non minus quàm Planetæ, & ab iiſdem cauſis: quia videlicet terra curſu ſuo in Zodiaco eas aliquando præterit, ſequitur, aut antecedit, quâ de cauſâ, ex doctrinâ Copernici, imaginariæ iſtæ mutationes accidunt in tribus ſuperioribus Planetis, qui inter circulum annuum telluris & ſtellas fixas ſunt interiecti.

Denique acceſſu & receſſu terræ ad fixas, iſtæ inconſtantem habere videbuntur ortum & occaſum, ait Ariſtoteles, ac in varijs punctis horizontis intra non multos dies apparebunt ſurgere, & occidere, Planetarum in tali inconſtantiâ omnino æmulæ: quæ abſurda ſunt, & omnium oculis refelluntur.

Quid tamen ad hæc Copernicani? Sanè non tacent, etſi, ne diu loquantur, vnico verbo, veteri illo Ariſtarcho præeunte, ſe expediant, ſphæram fixarum infinito propemodum interuallo à terrâ ſummouendo; ita vt totus orbis annuus in quo terra circumagitur, quiq; ſphæræ ſolis Ptolemaicę eſt æqualis, comparatione ſphæræ fixarum ſit inſtar puncti indiuiſibilis. Vnde phyſicâ & ſenſibili æſtimatione, *tria hæc corpora, ſol, terra, & luna,* inquit Mulerius, In Notis ad Lib. 1. c. 10. Coper.
perpetuò ſunt in centro mundi, quamuis centri iſtius diameter non minor ſit duobus millionibus milliarium Germ. Hoc eſt, ait, *ſi ex iſto centro aſcendant duæ lineæ parallelæ in cælum* (firmamentũ) *vſque porrectæ, quamuis lineæ iſtæ inter ſe diſtent* 2000000. *milliaria Germ. tamen in cælo conniuere & in idem punctum concurrere nobis videbuntur.* Itaque, opinione Copernici, ſi aggregatum ex omnibus elementis, cælo Lunæ, Mercurij, Veneris, Solis (in ſyſtemate Ptolemæi) euehatur inter ſtellas fixas, videri à nobis non poterit, ſed puncti rationem obtinebit; tanta ac tam immanis eſt diſtantia inter fixas & orbem telluris. Imò Lanſbergius eouſque exaggerat,

vt non vereatur dicere, totum mundum planetarium, id est, sphæram Saturni cum vniuersis corporibus intra eam inclusis, respectu sphæræ fixarum, *puncto haud multò esse maiorem.* Hinc inter Saturnum & proximas fixas adeo incredibile interuallum immittit, vt neget lumen fixarũ vltra Saturni orbem posse euibrari. Vnde *finis,* inquit, *cui à Deo ordinatæ sunt* (fixæ) *non tam est vt illustrent terram (lux enim earũ huc vsque se non extendit) quàm vt fulgore suo in cælo conspicuæ homini sint in signa tempestatum anni, & plagarum cæli.*

Controu. 2. De motu terræ ann.

Quod effuse ridiculum mihi videtur: nam nisi fixæ lumen huc vsque iacularentur, numquam à nobis internoctu possent conspici; quia vel lumen est ipsa species visibilis (quod mihi omnino ferè certum) vel sine eo comite, species nequit ad nos transmitti.

Ne tamen nimis incredibile & infame spatium, omni sidere vacuum, inter fixas & Saturnum relinquant, omnibus machinis sphæras Planetarum longè altiùs quàm Ptolemæus aut Tycho, à centro mundi remouent. Lansbergius solem tam procul à terrâ reijcit, vt inter vtrumque (cùm media distantia est) semidiametros terræ 1498$\frac{1}{2}$ interponat, idque *in Vranometriâ suâ euidentissimè demonstraturum* se iactat: vnde & solem 433$\frac{1}{4}$ terrâ maiorem, eâdẽ euidentiâ ostensurum affirmat. Keplerus longè liberalior, solis & terræ interuallum 3469. terræ semidiametrorum, & toties etiam solem terrâ ampliorẽ nobis fecit. Deinde Saturnum decies quàm solem, fixas bis millies quàm Saturnum, longiùs summouet.

Lib. 4 Epit.

Ex quibus liquet, quàm procul extra veterum & Copernici sui oleas isti euagentur. nam Ptolemæus distantiam solis apogæi, siue remotissimi à terrâ, solum 1210. semid. terræ, Albategnius 1146. semid. Copernicus 1179. semid. facit, estque parcior quàm Tycho, qui 1182. semidiametros donat. Sed Keplerum & Lansbergium, vt dixi, infamia spatij inter Saturnum & fixas tam enormis deterruit, ne Copernicum hanc in partem sequerentur, sed solem ceterosque Planetas tam altè à terrâ in illud spatium vacuum extollerent, quàm imaginatio vtcumque verisimilis ferre potuit.

Sed quid infinitum istud inter terram & fixas interuallum Copernicanos iuuat? inquies. Plurimum sanè, & nisi hoc ipsi, & Aristarchus olim in antecessum, finxissent, deprehensi erant, nec euadere poterant laqueos quos olim Aristoteles tetendit illis Samijs. Nunc verò vtcumque se expediunt, quia id quod per spatium ad sensum indiuisibile vagatur, videtur in eodem perpetuò puncto immobile hærere: vnde oculus inter fixas, terram despiciens, putaret

taret eam immotam toto anno permanere, quia orbis annuus (etsi reuerà maximus) quem circumcurrit, ex illâ fixarum distantiâ punctum indiuisibile apparet. Similiter, si terram cum Lunâ & totâ regione elementorum in firmamentum subuehi, & per spatium orbi annuo æquale (id est, cuius diameter 2000000. milliaria Germ. contineat) ire & redire imagineris, oculus tamen hinc suspiciens existimaret omnia in vno puncto firmamenti fixa consistere, quia linea 2000000. milliarium Germ. in firmamento, ob immanem à terrâ distantiam, videtur magnitudinem nullam habere, sed instar puncti esse. Itaque siue terra fuerit in Cancro, siue in Capricorno, siue in Ariete, siue in Librâ, id est, siue in hac siue in aliâ extremitate diametri orbis annui, semper sub eodem firmamenti puncto versari apparebit, ac proinde comparatione stellarum fixarum instar corporis perpetuò immobilis erit, perindeq; omnia secundùm sensum euenient ac si reuerà esset immobilis. Non dilatabitur ergo species fixarum, etiamsi 2000000. milliaribus Germ. terra propinquior fiat; quia talis ascensus respectu altitudinis fixarum pro nullo reputatur, cùm tanta linea ad semidiametrum sphæræ fixarum instar puncti sit. Eâdem de causâ nec veloces nec tardæ stellæ fixæ apparere poterunt, cùm terra de loco in locum respectu firmamenti non videatur transferri, vt suo motu nunc sequi, nunc præterire, nunc præcedere ad sensum fixas valeat. Hinc etiam ortus & occasus fixarum tam constans apparet, quia iterùm, terra earum adspectu apparet immobilis. Euanescit deinde ob eamdem rationem telum, quo Regiomontanus credidit olim se Pythagoricos iugulasse: quòd eadem ciuitas singulis annis eleuationem poli mutaret, si terra in orbem annuum circa solem gyraret.

Itaque, vt telluri motum istum eripiamus, qui intra spatij illius inter terram & fixas immensitatem se abscondit, necessariò tanti interualli absurditas in auxilium aduocanda erit.

Inprimis igitur, si tanta est intercapedo firmamenti, nulla stella fixa, etiam minima & vltimæ magnitudinis, erit, quæ, non dico corpus solare, sed totam eius sphæram, siue orbem terræ annuum, magnitudine non superet. nam orbis iste, vt fatentur, in firmamento instar puncti indiuisibilis & inuisibilis esset; cùm tamen quæuis stella sextæ magnit. longè amplior puncto in oculos omnium incurrat. Hoc autem statim nimisquàm paradoxum & adoxum apparet: solem siderum regem, & mundi inferioris, in quo homo


princeps animal degit, moderatorem, tot partibus à vilissimo firmamenti sidere superari.

Epist. ad Rothman Deinde in vniuerso *nihil vacui, nihil frustranei, nihil non sibi inuicem certâ harmoniâ & proportione respondens*, ait Tycho. *Scilicet à Saturno ad stellas fixas non quidpiam in vsus terricolarum destinatum continebitur, per interuallum plusquàm 7000000. semidi. terræ, stellis fixis quæ longè superiùs elatæ sunt, his tamen non minimùm inseruientibus.* Et posteà: *Qualis, quæso, mundi visibilis symmetria sic prodibit, si maxima pars creaturis visibilibus destituta erit? Quædam corpora cælestia in immensum fermè augeantur, quædam verò, vtut per se vasta, cum his tamen vix conferri poßint? facessat ista ageometrica, & asymmetra inordinataq; philosophandi ratio, à sapientiâ prouidentiaq; diuinâ alienißima.* Iucundum etiam erit audire confessionem ad quam Rothmannum Copernicanum Tycho compulit: *Quam* (rationem philosophandi) *etiam ipse Rothmannus, cùm esset mecum*, ait, *vlteriùs tueri non audebat, sed magnam absurditatem pari incredibilitati coniunctam hisce subesse, inter conferendum non inuitè tandem fatebatur. Memini enim, ipsum semel inter alia mihi dixisse, si Copernicæa assumptio in rei veritate constaret, necessarium fore, vt pleræque affixæ stellæ totum annuum orbem, seu sphæram solis suâ verâ quantitate exuperarent, antequam tam inexhausta distantia, qualem illis necessariò Copernici attribuit ratiocinatio, eam, quam è terrâ cernimus, visibilem ijs concederet quantitatem: quemodmodum ipsi à me obiectum erat. At hoc omnem fidem superare, prorsusq; absurdum videri non inficiabatur, neque per omnipotentiam diuinam id vlteriùs excusare nitebatur, & magnam quoque asymmetriam ex his induci non illibenter admittebat. Mundus quidem finitus*, pergit Tycho, *quoad Creatorem infinitum nullam habet proportionem; sed quoad seipsum, suasq; partes maximè proportionalis existit. Quod & in singulis animantibus terrestribus (vt de alijs eius partibus sileam) videre est. Sunt enim omnium animalium partes & membra ita proportionaliter ad inuicem ordinata & disposita, vt quodlibet horum certam rationem ad totum, tum quoque ad reliquas suas partes obtineat.*

Vidit hæc Keplerus, & cùm Planetarum interualla quinque corporibus regularibus comparauisset (interuallum enim Saturni & Iouis cubo, Iouis & Martis tetrahedro, Martis & telluris dodecahedro, telluris & Veneris icosihedro, Veneris & Mercurij octohedro simile imaginatur) nec sextum corpus regulare pro interual-

lo

lo Saturni & fixarum poſſibile eſſet, tandem poſt varios cogitationum æſtus, concludit, *nihil eſſe veriſimilius, quàm vt etiam Geometricè ſemidiameter regionis mobilium ſit medium proportionale inter ſemidiametrum corporis ſolis & ſemidiametrum ſphæræ fixarum: vt ſicut ſe habet globus ſolis ad ſphæricum ſyſtema Planetarum omnium, ſic hoc ſe habeat ad ſphæricum totius mundi corpus, fixarum regione terminatū.* Id eſt, quantò maior eſt diſtantia Saturni à centro mundi, quàm ſemidiameter corporis ſolaris quod in centro collocat, tantò præcisè etiam maior eſt diſtantia fixarum à centro, quàm diſtantia Saturni ab eodem. Vnde ex principijs & hypotheſibus ſuis conficit, ſemidiametrum ſphæræ fixarum continere in ſe ſemidiametrum ſphæræ Saturni bis millies. Ex quo intelligis, quàm incredibilis inter Saturnum & fixas relinquatur vacuitas, quidquid eam vtcumque, ſublatis in altum Planetarum ſuperiorum ſphæris, replere conati ſint. Nam hanc aut ſimilem Copernicani ſyſtematis imaginem animo ſibi deformare oportet. Lib. 4. Epit.



In quo A. ſit Sol in centro vniuerſi. C D E F. ſit orbis annuus, in quo terrâ cum lunâ ac totâ regione elementari reuoluitur quotannis circa ſolem. Orbis Saturni, extimus Planetarum ſit G H I K. qui à ſphærâ fixarum B L M N. diſtat interuallo G B. vacuo. Semidiameter A B. ſiue diſtantia centri mundi in quo quieſcit ſol, & ſphæræ fixarum, bis millies, imaginatione Kepleri, longior eſt, quàm diſtantia A G. quæ eſt ſemidiameter ſphæræ Saturni. adeò vt A G. ſit ſolùm bis milleſima pars A B. Totus deinde orbis terræ annuus C D E F. imò etiam orbis Saturni G H I K. ſi Lanſbergio credere velis, comparatione B L M N. inſtar puncti eſt indiuiſibilis. Et hîc cernis quod paullò antè dicebamus: quòd ſi oculus ex ſphærâ fixarum B. terram deſpicere poſſet, viſurum eam, tamquam immobilem, etiamſi circulum C D E F. circumcurreret: nam ſiue in D. (quod exiſtima eſſe principium Arietis) ſiue in F. oppoſito Libræ puncto verſaretur, ſemper in eodem puncto hærere appareret, quandoquidem diameter orbis annui D F. ſit linea ad ſenſum indiuiſibilis.

Hoc ergo illud ἄναστρον eſt & ſine corpore cæleſti hominibus vtili, inter Saturnum & fixas interuallare ingens ſpatium, quod Keplero adeò veriſimile videtur, non Tychoni, non mihi.

Sed proportio illa tam concinna, ait Keplerus, probabile ipſum facit. Vt videlicet, quantò corpus ſolare A. minus eſt quàm G H I K. id eſt, quàm tota compages conflata ex ſphæris omnium Planetarum & elementis, tantò G H I K. minus ſit quàm BLMN.

Verùm tam quæſita, & imbecilli pede nixa proportio non eſt ſatis valida, vt tantæ rei molem ſuſtineat. Nam Solis magnitudo tam ampla à diuino Opifice facta eſt, quanta ad illuminandas non ſolùm Planetarum ſphæras, ſed fixas etiam ipſas (ſi Copernico creduli ſimus) ſatis fuit: aut certè (quoniam longitudine interualli inter Saturnum & fixas iam deterreri ſolent Copernicani) quantum ad elementa & Planetas (id eſt, orbem G H I K.) perfundendos neceſſe erat. Hîc enim circiter extremos radiorum ſolarium mucrones euaneſcere Keplerus, Lanſbergius, alijque exiſtimant, ideoque fixas ſuam non alienam lucem vibrare.

Proportio igitur quam Opifex inter ſolare corpus, & vltimam ſphæram Saturni, ſiue totum ſyſtema planetarium, interiecit, ex actione, quâ ſol vniuerſum illud ſpatium illuminare debebat, ſumpta fuit: vnde ſimilem proportionem inter orbem Saturni, & fixarum ob eumdem finem ſeruare non oportuit, cum planetarius

orbis

orbis ad agendum in fixas à naturâ & Opifice destinatus non sit.

Quandoquidem igitur omnia illa corpora cælestia ad influxum & actionem in terram & orbem elementarem creata sint (*posuit enim stellas Deus in firmamento cæli, vt lucerent super terram*) sine dubio, fixarum & Saturni interuallum tam spatiosum factum est, quàm ad modulandos ac temperandos fixarum radios, antequam ad terram pertingerent, sufficiebat: minimè verò tam immane esse debuit, vt fixarum lumen per longitudinem eius delassatum, in sphærâ Saturni emoreretur, nec ad terram perueniret, vt ridiculè philosophatur Lansbergius. Gen. 1.

Absurdum etiam est, aiebat proximè Tycho, longè maximam visibilis mundi partem otiosam esse, & sideribus destitui quæ actione suâ prosint his inferioribus. Sed videte tamen, quomodo hanc lacunam Lansbergius impleat. Fallitur Tycho, inquit: non est vacuum illud spatium, sed plenum, non solùm nouis astris, *sed creaturis inuisibilibus vndique obsidetur.* & explicat deinde, hos esse *spiritus bonos & malos, ascendentes & descendentes* à tertio cælo in terram, & Dei mandata perferentes. Quasi verò spiritus spatia repleant, & accenseri debeant partibus mundi visibilis. Quod deinde addit de nouis astris, res incertissima est. nam etiam Copernicani passim cum Tychone ea inter ipsas fixas, non sub ipsis nasci arbitrantur: &, vt demus in spatio illo medio quandoque aut stellas nouas, aut cælestes Cometas, ex perennium fortasse siderum halitibus oriri, non operæ tamen pretium fuit ad finem tam exilem adeò ingens ætheris interuallum condi. Sola igitur imaginatio Copernicana, quoniam rebus suis ita expediebat, nobis illud fabricauit.

Quod etiam negant stellam fixam in B. non apparituram maiorem terrâ & oculo consistente in C. quàm consistente in E. vix ferri potest: sic enim longitudo tota diametri orbis annui (quæ iuxta Copernicum, 2000000. milliaria Germ. continet) siue intercapedo terræ & solis duplicata, ad ampliandam, aut minuendam stellæ fixæ speciem, nihil omnino conferre posset; cùm tamen Batauica nostra arundo, plurimas in viâ lacteâ, & per totum firmamenti fornicem fixas, oculis extra tubum spectantibus inuisibiles, nobis ampliando detegat, & ceterarum visibilium discos omnes dilatet. tubus autem non tantum præstare in dilatando speciem sideris potest, quantum vicinitas oculi, qui duplo eleuatior à terrâ, & propinquior fixis esset quàm corpus solis. quod

exemplis

exemplis varijs in his inferioribus ostendi potest, sed lunæ potiùs vtamur. Vt enim luna tantæ molis extra tubum appareat, quantæ in tubo ex terræ superficie apparet, non opus est ascensu tam multorum milliarium versus cælum lunæ.

Argumentum tale quoddam aduersum se strui posse olfecerat, opinor, Keplerus, ideoque vt cogitationem nostram hinc auerteret, telescopij vires in ampliandis sideribus fixis valdè diminuit, imò planè interficit. *Periti artifices*, inquit alicubi, *negant vllam stellarum fixarum quantitatem, veluti rotundi corporis, detegi per inspectionem telescopij; quin potiùs, quò perfectius instrumentum, hoc magis fixas repræsentari vt puncta mera, ex quibus radij lucidi in speciem crinium exeant dispergantúrque*. Sed fallitur profectò, & paruitatem fixarum vltra verum extenuat. artifex enim ille peritus, procul dubio, Galilæus est, cuius Epistolam vnam Keplerus Dioptricæ suæ inseruit: in quâ, *Licet stella canis discus*, ait Galilæus, *non maior appareat* (per faberrimum illud eius telescopium) *quinquagesimâ particulâ disci Iouis, nihilominùs radiatio eius est ingens & violenta admodum, adeò vt figura disci crinibus proprijs se ita implicet & abscondat, vt magnâ difficultate distingui & explicari valeat è circumfusis crinibus*. Non ait igitur Galilæus corpus stellæ canis merum punctum esse, sed modicum tamen, & partem quinquagesimam videri corporis Iouialis. Neque mirum id est, tam parum inspeciem à telescopio dilatari, quia telescopium circumfusos capiti eius crines detergit, quos extra telescopium solos pæne videmus; nam capitulum illud eius si caluum esset, sine telescopio oculus nullus cerneret; cùm nisi crystallo amplietur, instar puncti & inuisibile planè sit. Hoc igitur tubus facit: punctum illud lucis, crinibus suis implicatum, quod aliàs solum cerni non posset, ad quinquagesimam partem corporis Iouialis inflat, & distinctè in conspectum adducit. Fallit igitur nos Keplerus, dum fixarum illa puncta in manifestos globulos, telescopij ope dilatari negat. Id enim etiam Galilæus alibi disertè affirmat. *Est galaxia*, inquit, *nihil aliud quàm innumerarum stellarum coaceruatim consitarum congeries. in quamcumque enim regionem illius perspicillum dirigas, statim stellarum ingens frequentia sese in conspectum profert, quarum complures satis magnæ, ac valdè conspicuæ videntur; sed exiguarum multitudo prorsus inexplorabilis est*. Et hæc aliaque id genus nemo hodie ignorat, nisi qui telescopij cælique ignarus.

Lib. 4. Epit.

Galilæ. Nunt. sider.

Si

Si ergo Batauicus iſte tubus fixarum imagines ſic dilatat, oculi vicinitas tam valdè aucta, tantumdem, vt minimum, efficiet, ac vbi terra tot milliaribus ſupra Solem nos motu annuo euexerit, quot iam infra ſumus, amplior ex propinquo fixarum ſpecies occurret, vt Copernicani vſu etiam venire credunt in tribus ſuperiobus Planetis. Terra igitur annuâ periodo circa Solem non gyrat, nec tam immenſo interuallo fixæ diſtant à nobis, vt differentia 2000000. milliarium Germ. pro nihilo reputari debeat. Vnde & ſtationariæ, retrogradæ, directæ quandoque fixæ non ſecùs ac Planetæ erunt, eueniéntque omnia quæ Ariſtoteles olim obiectauit Pythagoricis, nec effugere hactenus potuerunt, quidquid multâ tergiuerſatione conati Copernicani.

Sed ecce hoc è Theologiâ noſtrâ calamum etiam iam incidit. ne effluat, chartæ allinamus.

Theologi vniuerſim Inferni ignem in centro telluris collocant, & indicat Fides noſtra, dum ait, Chriſtum Dominum ad Inferos deſcendiſſe. & Apoſtolus diſertè: *Deſcendit primùm in inferiores partes terræ.* Ephes. 4. Et alibi de vindictà Core, Dathan, & Abiron: *Dirupta eſt terra ſub pedibus eorum, & aperiens os ſuum deuorauit illos cum tabernaculis ſuis & vniuersâ ſubſtantiâ eorum, deſcenderuntq́; viui in Infernum operti humo.* Num. 16. Locus autem iſte carceris & pœnarum ideò in terræ centro, inquiunt Theologi, quia decebat longiſſimè ab empyreo & habitatione Beatorũ ſummoueri; veluti in palatijs Regum viliſſimus & infimus eſſe ſolet carceris locus. Empyreum verò, omnium conſenſu, in circumferentiâ mundi eſt, igitur Infernus in centro. terra ergo in quâ Infernus, vniuerſi centrum eſt, nõ Sol (aliàs enim Inferi includendi eſſent Sole;) vnde nec annuo curſu circa Solem tamquã mũdi centrum poteſt circumagi.

Multa hactenus vndique rapta in Copernicanos iecimus, iam reijcere oportet quæ tam animosè ex aduerſo ſparſa in nos.

CAPVT XIII.

Nouem priora Copernicanorum argumenta reiecta, quibus motum terræ νυχθημέρινον aſſerebant.

PRimum argumentum Cap. 11. quo motum terræ diurnum, qui ceterorum omnium fundamentum eſt, firmant Copernicani, ab ingenio & more naturæ ſumptum erat, quæ etſi in neceſ-

ſarijs minimè deſit, non tamen etiam ſuperfluit. Compendioſius verò eſt, terræ corpuſculum ad Solem cottidie conuertere, quàm ingentes Solis & ſtellarum ſphæras circumagere.

Sed in facili eſt reſponſio. Nam eodem argumento quiſpiam conficere poſſit, decentius eſſe, vt Rex aut dominus ſatellitum & famulorum coronam ſollicitè ad neceſſariam opem circumcurrat, quàm vt iſti circa dominum in ſede ſuâ immobilem ad miniſterium circumagantur. Sidera enim in terræ, ſiue mortalium in terrâ degentium, famulitium creata ſunt, ideoque ad opem & influentias ei diſpertiendas eam ambire debuerunt. Audi paulliſper Scripturam ſacram. *Ne fortè*, inquit, *eleuatis oculis ad cælum, videas Solem & Lunam, & omnia aſtra cæli, & errore deceptus adores ea & colas, quæ creauit Dominus Deus tuus in miniſterium cunctis gentibus quæ ſub cælo ſunt.* Moueantur igitur & diſcurrant miniſtri, dominæ gentes cum ſede ſuâ terrâ quieſcant. Non amant natura & Deus ſuperflua, inquiunt, & verum eſt; ſed tamen etiam magnificentiam in pleriſque diligunt: quia *confeſſio & magnificentia opus eius.* Hanc enim in tot cælorum & ſiderum conditione admirabiliter oſtendit, quibus etiam motum circa terram imperare debuit, vt prolixior nobis eſſet confeſſionis & laudis erga benigniſſimum Opificem materia. Quas enim dignas ei laudes & admirationem reddere poſſumus, qui non tantum olim ſemel condidit, ſed cottidie in vnius animalculi miniſterium tam ingentia incitat & verſat corpora?

Deut. 4.

Pſal. 110

Sed fieri non poteſt quin tantâ & tam inſanâ velocitate dirumpantur cæleſtes ſphæræ, & omnia ſidera diſſiliant, clamant Copernicani. *Vtrum probabilius videbitur*, ait ille encomiaſtes Gilberti, Edvvardus VVrightus, *globi terreſtris æquinoctialem circulum, vnico horæ ſcrupulo ſecundo (id eſt, eo circiter tempore, quo quis celeriter incedendo, vnico tantùm paſſu progredi poterit) vnius milliaris Britannici (quorum 60. vni gradui maximi in terrâ æquantur) quadrantem conficere poſſe: an primi mobilis Aequatorem eodem tempore quinque millia milliaria, ineffabili celeritate percurrere, & in ictu oculi quingenta circiter milliaria Britannica, fulminis ocyùs alis, præteruolare?*

Paræn. ad Gilbert.

Probabilius eſt, primum mobile tot millia præteruolare, VVrighte: nam ſi terra intra moram quâ vnum paſſum in ſuperficie eius facis, ad quadrantem totum milliaris Britannici verſus

orien-

orientem auolat, salta semel, animi gratiâ, in altum: ecce vno solido quadrante Britannici milliaris inde ad occidentem recides. dum enim tantillo tempore in aëre pendulus hæsitasti, terra quam calcabas, tam procul in orientem aufugit, vt ex Cap. VIII. intelligis. Nec periculum est, ne cælum rapiditate istâ tantò maiori dissiliat; quia partes non colliduntur, nec vna quàm altera magis festinat, vt ab eâ se abrumpere valeat. In globo verò terræ & aquæ tam fluxo & malè cohæso, omnia secùs se habent. nam pars vna mobilior, altera pigrior est, ideoque illa istam præuertet & retrò relinquet, & dehinc dissolutio inuadet & discidium inter partes. Nolite proinde Copernicani cælo nostro, sed telluri vestræ vehementer & malè metuite. Nimis intrepidi estis. nam tormenti globus, si ligneus, aut non benè firmus sit, dissilit tam rapido motu; terra verò vestra longè rapidius omni globo tormentario, duplici motu volat, vno per orbem annuum singulis horis 740. milliaria Germ. vt Keplerus vester nos docuit, altero circa centrum suum 225. milliaria Germ. conficit, quo tempore maioris tormenti globus per 30. solùm eiusdem mensuræ milliaria euadit. Deinde ne cælorum ruinam metueremus, Deus materiam huic fini idoneam elegit, & omni ære, omni adamante duriores eos fudit. Itaque nemo hîc timet, nisi qui de potentiâ Opificis ambigit.

Sed celeritas ipsa est incomprehensibilis, fabulosa, & addenda metamorphosibus Ouidij, ait Gilbertus. Attamen quid, quæso te Gilberte, in totâ naturâ rerum magnopere comprehendis? Numquam Sapientis istius philosophiam audiuisti? *Qui facit magna & incomprehensibilia, & mirabilia, quorum non est numerus.* Caue de genere istorum sis, *οἱ κυάθῳ μετροῦντες ὄντως τὴν θάλασσαν, τὰ τηλικοῦτα τῇ ἑαυτῶν ἐπινοίᾳ, qui cyatho mare, id est, res tam magnas ingeniolo suo metiuntur.* Modò diuini ingenij infinitus, vt sic dicã, alueus mare suum, id est, immensam illam sapientiam comprehendat, parum refert, quid Gilberti cyathus capere possit. Audi etiam Tychonem sanctius hîc philosophantem omnibus Copernicanis. *Indecens æstimari queat*, inquit, *id per plura & maiora fieri, quod per pauciora & minori negotio pariter & commodiùs præstari possit. At hîc elucet incomprehensibilis Dei Opificis inperscrutabilis sapientia & potestas, qui cæli corporibus tam vastis, omni cogitatione celeriorem motum, eumdemq́; simul & vniformem & diuisum duplicemq́; attribuere & voluit & potuit.*

Iob 9.

Nazianz. Oratione 34.

Epist. ad Rothman.

Denique, quisquis Aristoteli,& omnibus, præter vnum Epicurum, scholis accredet, magnitudinem & tempus contextum esse ex partibus proportionalibus infinitis, non pertinaciter abnuet, cõprehendi posse,quomodo motus sine fine accelerari valeat, adeoq; Deum sphæram primo mobili centuplo maiorem intra 24. horarum,imò vnius horæ spatium,posse reuoluere. Difficilis æstimatu, fateor, & ipsam quodammodò cogitationem nostram suâ velocitate præuertit iste motus; quin tamen diuinâ virtute corpus aliquod eousque & vltrà incitari possit, nemo Mathematicus, nemo verè Philosophus ambigere potest.

Verumtamen terræ, non cælo, inquiunt, vtilis est ille motus. Moueat igitur se terra potiùs, & benefico Soli terga illuminanda & calefacienda in orbem obuertat, & hanc operam principi sideri remittat.

Sed non intelligunt Copernicani, bruto & ignobili terræ elemento operam illam & se mouendi sedulitatem à Sole non impendi,sed hominibus in superficie terræ degentibus, qui cælos, qui sidera, qui omnia, vt cum Tertulliano dicam,sibi famulant elementa.

Nihil igitur refert quòd in Kepleri culinâ coquus veru ad ignem vertat, non autem prunas circa carnem immobilem assandam circumagat: hoc enim ei minus operę & difficultatis concinnat; famuli autem pigri sunt, & corripere laborem solent, producere mensas. Deus verò Keplerianus coquus non est,nec tellurem, velut gallinam,transfixo veru ad Solis ignem assat; quia tam rapidâ vertigine rei malè compactæ & cohærentis, assatum istud (vt Keplero colludam) dissolueretur,& in ignem aut cineres excideret. maluit igitur ἄμακτον & indissolubilem Solis ignem minori periculo circumducere.

Nec valde etiam premit, quod quinto loco ingerit Origanus. Terra,inquiebat,contra pigritiem & ne putrescat,indiget agitatione; cælum verò minimè,quia est incorruptibile.

Verùm ne terra vniuersa putrescat, penes tot ventorum flatus, & infinitas alias in terræ visceribus causas, est ista cura. Eam verò hîc aut ibi in parte tabescere & corrumpi, vtile, imò necessarium est ad mixtorum generationem. Maius fortasse vniuersæ putredinis,ac mortis totius corporis periculũ sit,si terra animal foret,quod motu ad perspirationem & vitalium euentilationem indigeat.

Sed

Sed in homine μικρoκόσμῳ mobilissima pars est deorsum, inquiunt: pedibus enim, non capite ambulamus. in magno igitur mũdo pars etiam infima, maximè mobilis & inquies esse debebat.

Hîc Copernicanorum ἀβλεψίαν & obliuionem mirari subit. Terram enim inter medios Planetas longè extra centrum mundi palari existimant, & tamen moueri iam inde arbitrantur, quòd in Vniuerso infimum centri locum obtineat. Solem igitur, quem in centrum & sentinam Vniuersi detruserunt, mobilissimam & exercitatissimam mundi partem esse, hoc argumento potiùs efficient; cùm tamen omnes immobilem faciant, præter vnum ferè Keplerum, cui seni iam primùm in mentem venit, circumagi saltem circa suum centrum.

Verùm, neque si tellus Vniuersi pars ima sit, oportet eam pedum officio fungi: nam aliàs ipsa cęlum, tamquam caput, deberet etiam sustentare, & motu velociori (quod valdè nolint Copernicani) quàm ipsa incedat, illud mouere. caput enim hominis in superficie terræ celeriùs quàm pedes inambulat, quia motus est circularis, & maiorem circulum caput eodem tempore conficit, cùm à centro terræ distet longiùs. Nam quibus rei huius cura, & otium calculi fuit, affirmant in vnâ Orbis terræ circumambulatione, caput hominis sex pedes alti, id est, staturæ mediocris, quatuor ferè milliaria Belgica (quorum singula contineant 3000. pass.) ampliùs quàm pedes emetiri. Sed id genus argumenta magis valent ad mouendum risum, quàm terrarum Orbem.

Nec septimum istud multò validius. Quies, aiunt, nobilior & diuinior est quàm motus: illa ergo danda Soli & stellis fixis tamquam nobilioribus, iste verò tribuendus est brutæ telluri.

At enim si ratio ista vires haberet, Lunam etiam, & omnes Planetas iuberet conquiescere; qui tamen, etiam iuxta Copernicanos, sunt in perpetuo motu. Falsum igitur est, quietem vbique esse potiorem motu. Id enim solùm verum est, in motu quo mobile naturalem aliquam perfectionem, quâ carebat, acquirit, comparato ad quietem quâ sub illâ perfectione quiescit. Sic quies terræ in centro potior est motu deorsum, quo lapis ad illam quietem se pręcipitat: sicuti cuiusuis boni possessio amabilior est, quàm actualis acquisitio eius. Verumtamen Sol, aut astra ad naturalem perfectionem motu illo suo non properant (nec enim iis melius & naturalius est in puncto occasùs esse, quàm in puncto ortùs) sed

ob finem ſolùm extrinſecum mouentur, id eſt, ad beneficia ſua animantibus & toti mundo inferiori meliùs diſtribuenda. Quies verò tali motu melior non eſt, imò tantò deterior, quantò melius, & principibus illis corporibus dignius eſt, iuſtitiæ diſtributiuæ leges obſeruare, quàm eas contemnere. Deus tamen immobilis eſt, quia immenſus, & ſine motu poteſt benefacere, & ſecundùm iuſtitiæ leges beneficia ſua diſpertiri. Iuuat etiam Tychonem hîc audire.

Epiſt. ad Rothman. *Quia motus præſtantior & dignior eſt quiete, magiſq́ vitalis; ceßit is præſtantiori & digniori parti mundi, nempe regioni ætheree. Cumq́ cælum vniuerſum loco & tempore finitum quidem ſit, ſed infinito, incredibili magnitudine & perennitate ſimile, adeò vt diuinitatē quamdam ob id ei attribuere non dubitarit Stagirita; conueniens etiam erat, motum ipſius cæli infinitatē quamdam præ ſe ferre, ideoq́ tantâ rapiditate naturaliter cieri, vt cogitatio noſtra eam vix aſſequi poßit, ipſis ſenſibus hîc omnino obſtupeſcentibus, & motum celerrimum à quiete, niſi poſt aliquod temporis interuallum, non diſcernentibus. Tanta nimirum diuini Numinis ſapiētia, vt intellectus humanus hîc obmuteat.*

Vis igitur mundi noſtri imaginem aliquam videre? Cænationum illarum, in mediâ luxuriâ Romanâ, laquearia verſatilia adſpice, quorum *ſubinde alia facies atque alia ſuccedebat, & toties tecta, quoties fercula mutabantur.* Sic enim laquearia mundi & cæleſtis ille fornix à naturâ, aut creaturâ rationali in orbem verſatur, dum interim in terrâ noſtrâ ad quietas & immobiles menſas cænamus. Senec. Ep. 90.

Octauò contendebant, Solem mundi lucernam, in centro, vt omnia vndique ex æquo illuſtret, debere collocari. Sed allucinantur, nam etiam ex lacunari ad illuminandum pauimentum lucernæ ſolent ſuſpendi. Ex alto igitur Sol & cæleſtes illæ faces illucent terram cui conditæ ſunt. Quia tamen non ſolùm terræ, ſed Planetis omnibus Sol lumen diſpergit, idcircò medio inter eos loco Conditor ipſum incedere iuſſit.

Nonum argumentum negat in Sole vlla eſſe inſtrumenta motûs localis, eſſe verò in terrâ, nempè fibras quaſdam rectas & circulares, quibus motus perinde in eâ adminiſtretur, atque in nobis & omnibus animalibus.

Sed ſcire velim, quandónam Copernicani Solem ſcrutati ſint, vt tam affirmatè decernant, nulla in eo ineſſe inſtrumenta localis motûs,

motûs,inesse verò suæ telluri.Interrogent deinde metallarios Germaniæ, & Leodienses carbonarios, an viscera terræ effodiendo, neruos,aut musculos,aut vllas omnino fibras deprehenderint,quibus animalia motum solent exequi. Negabunt, imò effusè ridebunt, scio. & nos faciamus.

Itaque neque Sol, neque tellus animal quoddam magnum est, cuius gramina,sentes,& rubi,crines,arborum trunci,pili paullò duriores sint, vt Kepleri Harmonica tam seriò nobis inculcat. Non indiget igitur Sol animalibus instrumentis ad motum, sed aliâ vi inanimatâ se mouet,aut certè ab intelligentiis agitur,vt Aristoteli, D. Augustino, & plerisque Theologis olim placet. Lib.4. c.7.

Languidè igitur & ab inualidâ manu priora ista Copernicanorum tela veniunt: videamus, an amentatiora sint quæ sequuntur.

CAPVT XIV.

Decimi argumenti dissolutio. Terræ motum diurnum à Sole perigæo non incitari. Lunæ motum à terrâ non esse. Terram è crustâ mobili, & nucleo immobili non componi: nec inde Scaligerum in labore ortûs fluminum adiuuari.

NOuam & inauditam hactenus causam inęqualitatis dierum naturalium finxit, & in affirmationem motûs terræ Copernicani callidè deflexit Keplerus. Omnes enim alij Astronomi ex obliquitate Zodiaci, & excentricitate Solis aiunt hanc dierum diuersitatem nasci:ipse ex terræ reuolutione mauult,quæ citatior est, ideoque diei naturalis ambitum citiùs absoluit, cùm Sol est terræ propinquus; quia hic vi suâ,vt credit,magneticâ, terræ vertiginem adiuuat & accelerat. Vnde circa Capricornum,quando Sol est perigæus & terræ proximus, dies naturales, breuiores sunt, longiores verò circa Cancrum, vbi sol apogæus & à terrâ remotissimus,languidiùs etiam eam impellit. Verùm vniuersa hæc sine fundo à Keplero fabricata sunt, quò pluribus argumentis motum terræ oneraret: nam, vt ipsus confitetur, non solùm omnes Astronomi Solis motores, sed etiam Copernicus, & Mæstlinus; imò Copernicani,nullo præter Keplerum,vt opinor,excepto,omnes Æquinoctialis reuolutiones arbitrantur esse æquales. hoc verò falsitatis mani- Kepler. lib.3.Epit.

manifestissimum est, si Æquinoctialis terrestris nunc citiùs, nunc segniùs, motu cottidiano circulum suum absoluit.

Attamen demus iam sanè, Sole perigæo velociores esse dies naturales, non idcircò sequitur statim, terram à Sole in orbem incitari, sed Solem potiùs ipsum ab intelligentiâ, vel aliâ causâ velociùs agitari, cùm propius ad terram descenderit. Si finem huius accelerationis ignorare me dicam, verum dicam: ne tamen omnino obmutescamus, hæc illicò venit in mentem. Ne Sol terræ vicinior nimiùm plagam directè subiectam adurat, ideò festinat tunc magis; nam mora calefacientis multum ad intensionem caloris valet. Lunam etiam à cottidianâ terræ gyratione moueri proprio motu ab occasu in ortum, vt tam audacter asseuerat Keplerus, non rident alij, sed decachinnant. Sic enim non per Zodiaci obliquitatē, sed super polos Æquatoris, quemadmodum terra Copernicana, directè in ortum deberet incedere. Negat tamen hoc Keplerus, quia *mouetur etiam*, inquit, *totum cælum Lunæ communi motu cum centro telluris circa Solem sub Zodiaco, vt ceteri Planetæ: quâ ex compositione fit, vt Luna respectu centri Solis semper teneat directum cursum in sequētia.* Id est, Luna vi magneticâ (quâ Sol secundùm longitudinem obliquam eclipticæ vertit se circa suum centrum) impellitur vnà cum terrâ annuo motu per Zodiacum, ideoque hic motus Solis fortior est, quàm alius quem Luna accipit à tellure: *cùm fluxus speciei solaris* (hoc est, actio virtutis impulsiuæ magneticæ, quam putat fieri per speciem è corpore Solis & terræ diffusam) *sub Zodiaco incedens sit maior, fluxus verò speciei terrestris sub Aequatore, minor.*

Lib. 4. Epit.

Incedet igitur, existimat ipse, Luna sub longitudine Zodiaci obliquè, impulsa à Sole, motu illo quo tellus, Luna, & omnia elementa, horæ vnius spatio peruolant 740. milliaria Germ. quique celeritate suâ longe diurnum terræ motum Lunæ impressum vincit: vnde Luna à filo suo & lineâ obliquâ quam sub Zodiaco legit, depelli à tellure nequit. Sed hæc non videntur mihi satis callide & cogitatè cōposita. Tellus enim & Luna eâdem quasi naui, vt fatetur, vi Solis magneticâ impulsæ nauigant annuo cursu sub Zodiaco. Ponamus igitur Lunam in Æquinoctiali, & tellurem non reuolui cottidianâ gyratione circa centrum: ecce iam Luna in Æquinoctiali terrestri perpetuò manens comitabitur terram per Zodiacum, & quotannis, quemadmodum terra, semel tantùm omnia signa perambulabit.

ambulabit. Quòd ergo iam ita festinet, vt singulis mensibus totum illum ambitum Zodiaci conficiat, à cottidiano terræ motu omnino prouenire debet, nullo modo ab annuo, cùm hoc annuo motu tellus & Luna, velut in naui eâdem, incedant pari passu, nec Sol annuo motu Lunam ab Æquinoctiali terrestri versus Tropicũ expellere tentet, sed tantum eidem parti terræ imminentem, vnà cum terrà transferre per Zodiacum. Expulsus igitur ille totus ab Æquatore terrestri versus Tropicum à diurnâ terræ vertigine erit. quod tamen fieri non potest, cùm non super Zodiaci, sed super Æquatoris polos cottidie se tellus vertat; vnde Lunam directe sub Æquatore in ortum, non obliquè vltra suos Tropicos, repellet.

Igitur frustrà Keplerus imaginationem suam fatigat, vt nobis expediat, quâ viâ tellus diurnis triginta reuolutionibus Lunam per omnia Zodiaci signa incedere compellat.

Pluribus argumentis ostendi posset, Lunæ motum non esse à terrâ: sed quid opus in re, quam nemo, nisi fallor, etiam Copernicanorum ferè ex animo credit, operam consumere? Hoc verò insuper habere nolo, & præcipuo risu videtur dignum. Keplerus dum ingenium, ad defensandum telluris motum, vndique versat, in hunc tandem scopulum impegit: quomodo aphelium telluris (siue pars circuli quo tellus ambit Solem, maximè remota à Sole) vmquam desereret principium Capricorni, cùm poli diurnæ conuersionis telluris semper spectent polos mundi?

Respondet verò. *Equidem per cohærentiam fibræ* (partis magneticæ, vti existimat, per quam terra à Sole attrahitur vel repellitur, & cuius gratiâ aphelium eius transit de signo in signum, quemadmodum apogæum Solis mutatur apud Ptolemæum) *cum axe motûs diurni consolidatam, fieret quod dicitur, nec vmquam discederet apsis telluris à principio Capricorni. Cogimur igitur concedere globum intra crustam exteriorem: vt ista rotetur motu diurno, ille fibras habens, non rotetur: pertineatq; vsitata virtus magnetica ad crustam externam, quia semper ostendit polos conuersionis diurnæ, non verò apsidem Solis vel telluris.* Lib. 4. Epit.

Si hæc cepisti, fabricatur nobis Keplerus totum terræ globum ex duabus partibus compositum. Vnus est interior, ac veluti nucleus, totus fibrosus, qui tamen diurnâ reuolutione circa axem telluris non reuoluitur. altera pars est crusta, & velut cortex huius nuclei, quam calcamus, & quæ vertigine diurnâ diem & noctem no-

L bis

bis alternat. Vnde ex istâ bellâ telluris compositione euenire posset, vt, si homines, pertuso & reiecto illo cortice, nucleum incolerent, nullam amplius cottidianam diei noctisque vicissitudinem haberent. Item metallarij, aut carbonarij nostri Leodienses tam altè humum quandoque effodere possent, vt cortice toto perfosso, nucleum aspicerent manifestè immobilem, dum ipsi intereà cortici adhærentes, rapidissimo turbine volarent ab occasu in ortum. Deus bone, quali etiam collisione & strepitu orbis ille terræ superior nucleo suo affricaretur! Omnes profectò illi carbonarij & operæ subterraneæ omnibus molitoribus & catadupis surdiores essent.

Videtis iam, opinor, quousque tandem subtilitas illa Copernicana obtundatur, & quomodo deserat sensum, ne videatur deserere rationem. Si motus enim terræ annuus, sine cortice illo & nucleo terrestri defendi nequit, quod fatetur Keplerus, non alio iam telo opus; iugulatus est tam manifestariâ absurditate Copernicus. Non desperat tamen huius rei fidem à nobis extorquere Keplerus, & magno beneficio Scaligerianos se deuinxisse putat, indicando viam quâ fontium fluminumque scaturiginem, & maris æstum expediant. *Adiuuet hinc Physicus aliquis*, inquit, *Iul. Cæsar. Scaligerum, disputantem de fluminum ortu, deq́ maris fluxu & refluxu: videatq́ si laboranti illi succurrere poßint hæc telluris separata viscera. etsi mihi*, addit, *Luna & anima telluris sufficiant*. Keplerus enim maria fluere & refluere credit respiratione terræ, & ingentium pulmonum quos abdidit in suis visceribus, vt nuper in Meteorolog. nostris diximus. Sed quid Scaligerum *separata* illa *telluris viscera* adiuuare possunt? Aut non intelligo, aut huc respexit Keplerus. Putat Scaliger abyssi subterraneæ aquam ab aquâ marinâ superueniente exprimi in altum, ac vi tali impulsam scaturiginibus fontium exsilire; quem in Meteorolog. etiam reiecimus. Adiuuabitur autem hic aquæ in ora fontium ascensus, si ex crustâ forte superiori terræ mobili, quæ ab occasu in ortum vehit secum mare, defluat istâ agitatione copiosior marina in subterraneam abyssum, item si lapides, metalla, partes etiam terræ è crustâ mobili excussæ abyssum incidant, repletoq; partim eius alueo aquam sursum eleuent.

Lib. 5. c. 2. a. 8.

Exercit. 46.

Lib. 5. c. 2. a. 1.

At parum omnino præsidij in talibus non paradoxis, sed adoxis, inueniet Scaliger. Et si crusta illa frustatim excidat, maiores paullatim

tim fient ruinæ, ac tota tandem diſſoluetur. Sed ἅλις σκυδαρίων καταπεζιμμένων, *ſatis de ſcrutis iſtis detritis*, quomodo eiuſmodi philoſophias alicubi appellat Socrates: ſi tamen etiam hanc conſarcinemus laciniam. Non eſſe ex maculis illis ſolaribus tam exploratum, quàm Keplerus exiſtimat, Solem turbinari circa ſuum centrum. plerique enim alij, aut fumos corpore ſolari exhalantes, aut (quod probabilius, & cælo dignius eſt) ſecundariorum Planetarum greges quoſdam eſſe arbitrantur, quos Io. Tarde Gallus, Libello nuper de iſtis edito, in honorem Chriſtianiſſimi ſui Regis, aſtra Borbonia nuncupauit. Solis autem motu circa ſuum centrum compreſſo, ſilet illicò anxia illa & prolixa Kepleri Philoſophia, quâ Planetas omnes & terram ex fibris *ſolipetis* partim & *ſolifugis* contexit, quibus Sol circa centrum ſuum ſe reuoluens, eos attrahit, aut fugat; plurimaque alia cadunt, quæ hoc turbine Solis infirmiter ſuſtentabantur.

Plat in Alcib.

Lib. 4. Epit.

CAPVT XV.

Vndecimum & duodecimum argumentum reijcitur. Oceanum Jndicum ab ortu in occaſum perpetuò non defluere. Animalia ex Aſiâ in terram Auſtralem, per continentem nunc in Maldiuas, Moluccas, Iauas dilaceratam videri tranſiuiſſe.

VNdecimo argumento, indicium diurni telluris motûs, ex perpetuo Oceani Indici verſus occaſum defluxu, ſumebant Keplerus & Origanus. Hiſtoriam huius fluxûs in Meteorolog. noſtris inuenies, qui primùm à Columbo, & aliis primis Indiarum repertoribus celebratus, in ſcholas Philoſophorum venit, & ingeniis illis exercitium dedit, aut ludibrium. Nam plurimi huc inclinarunt, vt, quia cæli motus inter Tropicos eſt rapidiſſimus, aquam maris ab ortu in occaſum abripi exiſtimarent. Hoc verò longiſſimè ſpreuimus, & poſteriorum nautarum teſtimonio, qui huius rei diligentiores fuerunt, iugem illum Oceani in occidentem defluxum ſuppreſſimus. Nullo enim alio indicio hunc maris raptum, vti vocant, deprehenderunt primi nautæ, quàm facilitate nauigationis ab ortu in occaſum intra limites Zonæ torridæ, ac difficultate regreſſûs ab occaſu in ortum. Id verò non in aquæ, ſed in aëris qui vela implet, motu habet cauſſam. Latinè nobis narret Hiſpanus

Lib. 5. c. 1. a. 6.

Ios. Acosta lib. 3. c. 6. Histor. Indic.

iste, præter ceteros non incuriosus. *Qui nauigant*, inquit, *Oceanum Indicum ab ortu in occasum, perpetuo à puppi afflāte subsolano vtuntur, & eò magis pertinace, quò propiùs Aequinoctialem adnauigauerint: si verò in ortum reflectant, aduersum & reflantem ipsum semper experiuntur.* Caussam tamē eius rei in cælum coniicit, quod aërem saltem, si aquam non potest, secum perpetuò vehat ab ortu in occasum. *Quia enim*, ait, *rapidissimus Aequinoctialis motus non tantùm secum ab ortu in occasum sphæras cælorum inferiores, sed etiam aëra, vsque ad superficiem maris, corripit. Pater Alphonsus Sanchius*, inquit, *Religiosus nostræ Societatis, & per vtrasq; Indias aliquando peregrinus, homo ingenio pollens & naturæ consultus, narrabat, cùm olim sub Aequatore ab ortu in occasum perpetuo & leni illo subsolano decurreret, se existimasse, non fuisse à turbidâ aliquâ exhalatione, aut è terrâ marive natum, tam mollem & constantem flatum, sed auram & aërem turbine cæli (qui in medio circa Aequinoctialem velocissimus) in orbem circumductum. Nisi enim hoc esset, neque tam pertinax in occasum, neque tam placidus & mollis perflueret, sed vel intercideret quandoque, vel in ortum reflecteretur, inconstans, exlex, ac ceterorum ventorum æmulus. Et ab hac caussâ est, vt toto illo decursu numquam mutentur aut obliquentur nauium vela, sed ab eodem semper cardine, & eodem sinu excipiant auram aspirantem.*

Caussam tamen istam in Meteorolog. confutauimus, quia vsque ad infimum aërem vertigo cæli non perueniat, & in proprios ventos à Sole excitatos reiecimus.

Nullus igitur sub Zonâ torridâ Oceani raptus, propter quem defensandum oporteat terræ diurnum motum comminisci. Verum tamen est, Mediterraneum mare in occasum perpetuò defluere, sed caussâ hac manifestissimâ, perenni videlicet Euxini in Ægęum, & Ægæi in Mediterraneum, ac numquam reciprocāte, lapsu. Hinc enim, vt omnes testificantur, ingens aquarum moles, Ægypti ac Africæ littoribus impacta, versus Hispanias & occidentem reflectitur, nauesque Alexandriâ in Italiam, Galliam, Hispaniam deuehit molli & secundo æstu, rixante & difficili in ortum reditu.

Vnde etiam liquet, quod etsi talis aliquis esset Oceani Indici in occasum raptus, aliam, præter telluris turbinationem, caussam posse reperiri, illi videlicet affinem quæ Mediterraneum ab ortu ad occasum perpetuò impellit: vt si quispiam Oceani orientalis fundum altius occidentali esse autumet. Nam reuera si terræ mo-

tus,

tus, aquas Oceani illius non ſatis celeriter terram aſſectantes retrò relinquat, id etiam in Flandrico noſtro Oceano, id in Caſpio, id in omni omnino etiam lacu & palude eueniet. Aquæ enim ob lubricam illam & lapſantem naturam, pari paſſu terram comitari non poſſunt: deſtituentur ergo, & ingenti retrò congerie terram occidentalem obruent. Hic igitur Oceani Indici ad occaſum imaginarius raptus à Copernicanis quolibet obuio telo Copernicum defendentibus malè raptus eſt. Quod tamen ait Keplerus, vnam à Sumatrâ & aureâ Cherſonneſo vſque ad terram Auſtralem, continentem olim fuiſſe, cuius Maldiuæ, Moluccæ, Iauæ, & ceteræ Oceani Indici in eo tractu inſulæ fragmina quædam ac veluti veteris naufragij tabulæ ſint, non diſplicet. imò propè ſum vt opiner, hoc terreſtri itinere homines, & animalia ex Arcâ Noë in terram Beach Auſtralem, & inde in Americam paullatim, nullo tunc aut breuiſſimo freti traiectu perueniſſe. Hoc enim vero ſimilius, quàm per fabuloſam fortaſſis Atlantidem, aut per Septemtrionis niues, aut Angelorum deportatione, eò penetraſſe.

Duodecimo argumento conquerebatur Lanſbergius, velociſſimum motum maximæ ſphæræ, id eſt, cælo primo mobili à Ptolemæo tribui, tardiſſimum minimæ, hoc eſt, lunari.

At ſanè ita debuit. nam vtramque ſpatio 24. horarum circiter, diurno ab ortu in occaſum raptu, oportuit reuolui: igitur quæ amplior & maioris ambitûs erat, rapidiùs debuit circumagi. Quòd tamen firmamentum motum proprium habeat tardiorem lunari, nil refert; quia ſapiens Opifex ſic expedire exiſtimauit, ad diſtribuendas in certo numero & menſurâ cæleſtes influentias mundo elementari. Sed nequit idem corpus, ait Lanſbergius, motibus cõtrariis ſimul cieri; igitur duplex in oppoſitas mundi partes motus eſſe non poteſt in eodem cælo aut ſidere. Miramini hîc iterùm incogitantiam ſenis iſtius Copernicani. Non enim dubitat, quin globus tormenti in occaſum exploſus agitetur duplici (vno telluris ab occaſu, altero pulueris ab ortu oppoſito) motu: & tamen negat iam id in cælum poſſe cadere. Deinde mirum eſt, niſi inſulæ Goeſanæ ac in mediis aquis Miniſter, Zelandum nautam, contra motum ſuæ nauis viderit vnquam inambulantem. Si id poteſt, nihil vltrà poſtulamus pro duplici cæli motu.

CAPVT XVI.

Frustrà timeri, ne motus cæli terram in orbem corripiat. Superiorem æthera vero motu in occasum abire, non videri tantùm propter vertiginem terræ Copernicanam.

IMpossibile est, ait Lansbergius iterùm, totum moueri immotâ eius parte: tellus verò sphærarum cælestium pars est; igitur cum sphæris debet moueri.

Falleris, terra non magis cælestis sphæræ pars est, quàm pes pars tui calcei, Lansbergi: nec enim locatum est pars sui loci. Si verò sphæram cælestẽ accipis pro aggregato ex ipso orbe ambiente ac omni corpore contento, id non mouetur per se primò; terrâ videlicet, parte eius, quiescente. Nec id magis impossibile, quàm Lansbergium quietis pedibus caput inclinare aut circumferre.

Sed οὐ χόνιον ἓν, *non eiusdem farinæ est*, nec tam facilè dissipari potest, quod ex Mæstlino congerit Keplerus. quomodo, inquam, tantulus telluris globulus non corripiatur in orbem tam rapido cælorum turbine. Et augeretur profectò insigniter rei difficultas, si Lansbergio luberet credere, asserenti tellurem, *perinde ac si corpus esset leuissimum*, in aëre suspensam esse, ac minimo etiam digitulo impulsam, sponte in orbem decurrere.

Lib. 1. c. 22 Progymnas.

Verùm nego tamen globulum istum à cælo quamuis vastissimo, ad motum sollicitari: quandoquidem nubes viciniores, & tantò quàm terra obedientiores, non sequantur tamen cælestem motum. Imò, an æther (siue aër est) concauo cæli contiguus, trahatur eius motu, Galilæus & Sarsius dissident, & corrixantur animosissimè. Galilæus enim ætherem à fornice cæli Lunæ trahi negat: quia si æreum aut vitreum orbem circa axem suum quantâuis rapiditate circumagas, aër inclusus non sequitur motum orbis; quod ex flammulâ candelæ facilè intelligitur, quæ concauo vasis ferè attigua, ne tantillum quidem vibratur, aut in eam partem annuit quò fluit motus. Id enim se in catino æreo expertum dicit Galileus.

Simbell. Exam. 40.

Sarsius tamen experimentum experimento reponit. *Motum aëris*, inquit, *sed tardiorem, satis superq; meum probat experimentum. Si enim candela accensa manu retineatur, cuius flamma non longè ab interiori catini superficie absit, hæc, vbi vas circumagi cœperit, in eamdem quoque partem suam euentilabit flammam. Hæc autem euentilatio aliunde oriri non potest, nisi ex aëris sese in gyrum agentis incursu.*

cursu. Hanc verò flammam candelæ, non catino affixæ, sed manu retentæ, ad catini motum in eamdem quoque partem agi, non est cur neget Galilæus. Quod si experto sibi id minùs feliciter accidit, ideò factum existimem, quia nullâ ratione res adeò inuisa feliciter ei accidere poterat. accidit tamen ijs, qui æquiore animo id me præsente experti, ipsimet candelam manu prehensam tenere, catinumq; agere voluerunt, viri Illustrißimi atque eruditißimi, quos inter Galilæo carißimi numerantur, Virginius Cæsarinus, & Io. Ciampolus.

Siue igitur ætherem à concauo cæli lunaris rapi in orbem, cum Galilæo negemus, siue cum Sarsio affirmemus, numquam tamen terram vnà corripi necesse erit; quæ tanti spatij, id est, 51. semid. suarum intercapedine à proximo cælo distat. Nam, Sarsij etiam confessione, pars ætheris à contactu cæli remotior languidius trahitur, nec impetus valde profunde descendit versus terram: igitur terram non impellit, nec ad sequendum vllâ ratione sollicitat. imò licet ad infimum aërem perueniret cæli raptus, terram tamen mouere non valeret, quia molles nimis & languidas ei manus iniiceret.

Itaque à motu cæli & subiecti ætheris non debent Mæstlinus & Keplerus terrestri globo metuere. Nec verus etiam Lansbergius, qui credit eum tam leuiter in aëre pendulum esse, vt minimo impulsu valeat in orbem agi. Nam ponderibus suis ita libratur, vt hemisphærium vnum alteri resistat, & contrario in centrum nisu, ac incubatione satis graui, inuicem se sustentent. Falsum quoque, & contra experimentum est, terram suâ grauitate non resistere motui circulari, aliàs enim pars terrę à ceteris auulsa, sine renisu & difficultate posset in orbem duci, nec caballi nostri tanto anhelitu curulia onera circulari tractu mouerent in superficie terræ. Hinc etiam prodit se vanitas eorum, qui asseuerant, *terram semel à naturâ impulsam non posse quiescere, sed irrequieto motu, sine fine in orbem pondere suo verti atque obambulare*. Quia, inquam, terra pondere suo, & in centrum graui incubitu, motui etiam circulari obsistit. Nam aliàs pede vno in murum impacto, aut globo tormenti saltem in saxeum montem excusso, totum terræ orbem conuertere, & illicò ex die noctem, & retrò ex nocte diem creare possemus. Ne igitur similes absurditates prudentem mundi inferioris œconomiam quandoque perturbarent, debuerunt diuini digiti globum illum grauius & firmiori statu suspendere.

Origan: Epist ad Elect. Brand.

Verùm ecce, dum defendo terram, ne abripiatur cæli motu, metuo

metuo ne proximum etiam & attiguum ętherē impellere nequeat, quod vult Galilæus, & valdè exoptent Copernicani. Si enim Lunæ ad aliquantam profunditatem ſubiectus aër (ſiue etiam aliquod ignis elementum ibi eſt) ab ortu in occaſum non poteſt à cælo vehi (quem tamen conſtat, experientiâ Cometarum ſublunarium in eo pendentium, tali motu incedere) igitur motus iſte ſupremæ regionis aëris non verus, ſed imaginarius eſt; nec aliunde imaginatio iſta venire poteſt, quàm quia Orbis terræ cum infimo aëre & nubibus ab occaſu in ortum abripitur, relicto ſupremæ regionis aëre, qui idcircò videtur in occaſum regredi. Itaque niſi cauſſam reperiamus probabilem quę aërem illum ab ortu in occaſum vero motu impellat, Copernicani imaginarium ſuum per vim nobis obtrudere poſſunt.

Et profectò vehementer ambigo an læuiſſimus cæli Lunæ fornix valeat vel tantillum, aërem contiguum mouere. Nam in eodem præciſiſſimè veſtigio manens, in orbem ſe verſat, nec ſpatium ſubiecti corporis contendit intrare, vt idcircò oporteat ipſum loco dimouere. Niſi ergo ingentibus rugis, imò montibus totis concauitas illa cæli ſit exaſperata, nō acutè video, quomodo valeat ętherem ſecum ducere. quem enim vncum, quam manum ei iniicit, ſi concameratio tota glaberrima eſt? non enim inſtar picis, aut viſci, ſed tenerrimâ, laxâ & ſolutili vnione illi fluidus æther adhæreſcit; nec habet, cur motum eius ſequatur, niſi fortaſſe, quia vacuum metuit. Sed tamen, quodnam poteſt hîc eſſe vacui periculum? Nam pars ſuperficiei cæli quæ contiguam ætheris partem motu deſerit, in ſpatio ſequenti illicò ſimillimum alterius partis ætheris contactum inuenit, vt proinde prioris partis ſequela, ad ſuperficiem illam in ſequenti ſpatio replendam, neceſſaria non ſit. Igitur ſuperficies cæli glabra glabrum ætheris dorſum læuiſſimè deſtringit & mox deſerit, idemque parti ætheris ſequenti, & omnibus deincipiti ordine facit. Non faciet tamen, reſponſat Sarſius: *Quia nauicula vino oblita* (ſic expertus eſt ipſe Galilæus) *in mare propulſa, quingentis paſsibus emenſis, nec antè, abſterſo mero, abſtemiam ſe olfacientibus exhibet, & meras ſolùm redolet vndas. Sic ergo*, inquit, *à naui etiam planè diſcedet aqua, ſed vbi ſecuta diu fuerit, nec ſimul abſcedet tota, ſed partim ac minutatim; vt vel ſic teſtetur, non ſponte, ſed vi maiore coactam, nauis ſe ab amplexibus diſtrahi.* Simile igitur in cæli & ætheris contactu eueniet.

Sed

Sed à temulento Baccho ad ſobrias Nymphas malè videtur argumentari. Sequitur enim vinum tam diu nauiculæ cui adhæret carinam, quia ſpiritu ſuo penetrabile eſt, & altè ſatis in ligni meatus ſe inſinuat; vnde tam facile & citò ablui non poteſt. aqua verò tantâ pertinaciâ fundo nauis adhærere nequit, cùm ſummam ſolùm ſuperficiem eius oblinat, aut certè non niſi in latè dehiſcentes ligni poros vix ſe penetret. Itaque aqua quam fundus nauis allambit, illicò ab eo deſeretur, nec ſequetur, niſi quantum ſuperficies ligni poris combiberit, aut quantulum lentitudine quâdam ſuâ ei adhæſerit. Aquam enim modico lentore apprehendere ſuperficiem externam rei immerſæ, patet, quia res aquis extracta, aliquamdiu madorem retinet; niſi pingui vncta ſit, aut talem ſiccitatem habeat, quæ vinculum aquæ ſtatim reſpuat: quomodo auium, maximè aquatilium, pennæ nihil humoris ſeruant, illicò vbi aquis emerſêre.

Illa tamen vini, aut aquæ naui adhærentis experientia, non poteſt in cælum trahi. Nam in concauo Lunæ, nulli pori, nulla foramina hiant, intra quæ æther ſe illatebret, ſeque teneat, vt ab eo poſſit abduci; quomodo ſpiritus vini auehit ſecum nauis. Deinde æther magis ſolutilis eſt, nec parem habet lentitudinem cum aquâ, vt ſuperficiei cæli fugienti aliquantiſper inhæreſcere poſſit, quemadmodum aqua naui.

Hinc lubrico iſto cæli Lunæ quaſi diffidens Sarſius, ne res fortaſſe tota manibus extorqueretur, tandem illam totam cæli ſuperficiem quibuſdam rugis & inæqualitatibus exaſperat; nec vllam tamen inde ſiderum manifeſtam refractionem futuram contendit. Facilè iam autem intelligitur, quomodo æther ab angulis, item montibus fortaſſis etiam, & promontorijs intra profunditatem eius è concauo cæli dependentibus, in orbem impellatur.

Sed fictitia iſthæc, & ad fugam reperta ſunt. Verius enim longè eſt, nullum, vſque ad ſtellas fixas, occurrere ſolidum fornicem; quod altiſſimæ Cometarum traiectiones, & alia quædam ſatis oſtendunt. Itaque non à cælo Lunæ glabro vel aſpero, in orbem trahitur æther; verùm à corpore lunari aſpero & montoſo, ceteriſque Planetarum globis, qui maximo & irrequieto turbine liquentes illos ætheris campos traijciunt. Vnde ſanè exiſtimo, non longè infra Lunæ orbitam, hunc ætheris motum deſcendere, & omnes conſequenter illos Cometas qui cæli motum ab ortu in occaſum comitantur, longiſſimè à verticibus excelſiſſimorum

montium abesse, & Lunæ, altitudine pares aut suppares esse.

Cernis ergo iam, vt arbitror, non opus esse motu terræ Copernicano, vt superior æther appareat ab ortu in occasum recedere; quandoquidem caussa aliqua inuenta sit, quæ vero potiùs eum motu in illam partem trahat. Aut si illa non sufficit, & adhuc caussificentur Copernicani; virtutem cæli magneticam (quod tamen nolim) quæ ætherem ducte, fingamus, & pares ipsis erimus, qui simili virtute magni magnetis telluris, infimum aërem ac nubes ab occasu in ortum agitari credunt.

Ne tamen etiam caussa Ptolemæi, & plurimorum hodie, qui sine vi magneticâ (id est, lato illo & generali ignorantiæ in rebus istis mantelo) à glaberrimâ cæli Lunæ superficie ætherem superiorem raptari credunt, prorsus deseratur, ecce in memoriam mihi redit imago globi per puluerem abiecti & in eo se voluentis. hic enim puluercam à tergo caudam trahit, puluere videlicet non illicò globi superficiem deserente, sed in complexu eius aliquamdiu cum ipso fugiente, quasi aliquis eum vacui metus incesserit: eoque pertinaciùs & longiùs sequitur, quò rapidior fuerit globi motus. Sic etiam, cùm pisces per aquam, homines, aues, & omnia quadrupedia per aërem rapiuntur, aquæ, vel aëris partem aliquam tergo adhærentem post se trahunt. Simile quidpiam igitur in æthere cælo Lunæ attiguo existimandum. vnde & experimento Sarsij, quod paullò antè narrabamus, magis quàm Galilæi erit fidendum; præsertim, cùm & ipse Galilæus tandem Sarsio concedat, *motu catini rapi fortasse aërem proximum, cuius crassities digiti mensuram non excedat*. Quam aduersarij indulgentiam largiter ampliat Sarsius. *Vt pars*, inquit, *lunari concauo* (Simb. Exam. 40.) *proxima, vi ipsius cæli rapitur, ita alia remotior, vbi prioris partis vim sui distentione vitare ampliùs non potest, quamuis tardiùs, illam assequetur. Neque minùs enim vna aëris pars alteri nectitur, quàm ipsi lunari concauo pars illud contingens. quòd si hæc illo nexu rapitur, rapientur etiam reliquæ.* Ad aliquantam tamen solùm profunditatem, vt hîc libet experiri. nam piscis, aut nauis in lacu tranquillo natans, non mouet & trahit post se totum lacum. A quâ caussâ verò id fiat, non est tam promptum. existimo, ob vacui metum. Nam licet pars superficiei cæli non esset vacua, etiamsi pars ætheris contigua non sequeretur, cùm illa aliam inueniret (vt antè dicebam) partem ætheris, quæ eam repleret; tamen natura veluti id ignorans, tam sollicita est, vt partem

prio-

priorem aliquamdiu ſequi iubeat, donec quodammodò res planè ſit extra omne vacui periculum. hoc enim ſecurius, promptius etiam & facilius eſt ad propulſandum mali illius periculum: natura verò facilioribus, & quæ magis in manu ſunt, remedijs hîc ſolet vti. Tot ecce viæ ſunt, quibus Copernicanis poſſumus elabi.

CAPVT XVII.

Motum terræ annuum, neque ex ſimilitudine terreſtris opacitatis quam videmus in Planetis, neque ex motibus periodicis quibus Planetæ circumeunt Solem, poſſe probari.

NEruos quibus Copernicani terram diurno motu agebant, ſoluimus, aut fregimus, niſi fallor, alijs iam qui eam annuo motu per Zodiacum vexant, admoueamus vnguem.

Primo & altero Capitis III. argumento flagitant ſibi darì, corpora Planetarum, inſtar telluris, opaca & radijs ſolaribus imperuia eſſe. Lunam etiam montibus & vallibus exaſperari, ac terræ noſtræ gemellam videri. omnes denique Planetas Solem motu proprio circumcurrere. Verùm vniuerſa hæc & plura eiuſdem nouæ cæleſtis Philoſophiæ volentes concedimus. Sit Luna montoſa (quamquam alio fortaſſe filo facies illa enormis quæ in tubo apparet, deformari poſſit) & terræ ſimilis: an tamen ideò ſtatim inter Planetas terra ambulare debet?


Simia, quàm ſimilis turpiſſima beſtia nobis! Ennius.

an idcircò hominibus & ſimijs omnia communia eſſe oportet? Vocetur ſanè Luna terra cæleſtis, & terra Luna terreſtris aut elementàris, modò in ſuperficierum pari ferè enormitate, non in motu aut quiete ſit iſta ſimilitudo. aliàs enim ſi ex ſimilitudine facierum coniectare velis, terram etiam motu Lunam imitari, perinde feceris atque ſi dicas, ſtatuam ambulare, quia hominis ambulantis habet faciem. Neque, ſi omnia Planetarum corpora adiaphana & opaca ſunt inſtar globi terreſtris, ſequitur magis terram eſſe Planetam, quàm aquam eſſe vinum, quia illa inſtar vini diaphana eſt, & Solem tranſmittit.

Sed Mercurius, Venus, & reliqui Planetæ eâ ſerie ambiunt Solem

lem quam olim ipſis ſtatuit Copernicus, inquiunt Keplerus, Galilæus, Lanſbergius. Sit ita planè. Non tamen neceſſe eſt, vt Sol in centro vniuerſi ſtare iubeatur immobilis. Aliud namque vniuerſi, & aliud Planetarij ſyſtematis centrum eſſe poteſt. Conuertant igitur Planetæ ceteri (exceptâ Lunâ, quæ manifeſtè motu proprio terram circuit) ad Solem periodicos ſuos motus, ſed tamen incedat etiam Sol in Zodiaco, motu annuo, & ab ortu in occaſum cottidiano, velut Rex inter ſatellites. Regem enim ambulantem non minùs, quàm in throno ſuo immobilem, ſatellitium & famuli circumludere poſſunt.

Itaque ſyſtema Tychonicum longè propiùs verum eſt Copernicano, quia terræ immobilitatem ſuam, & locum centralem reſtituit, Solemque, etſi mobilem, centrum tamen ad quod Mercurius, Venus, Mars, Iupiter, Saturnus in proprijs motibus reſpiciunt, conſtituit. Imaginem hîc eius vides.



In hac tellus inprimis est firmamenti & mundi immobile centrum, circa quod sidera vniuersa fixa, erratica circumaguntur; etsi sola luminaria, Sol & Luna, eam vt motûs sui proprij centrum adspiciant: reliqui enim Planetæ circa Solem se conuertunt. proximè quidem Mercurius & Venus, qui proinde in paruis quibusdam tantùm circellis, terram non cingentibus, sese mouent. Vnde caussam oculis ipsis iam inspicis, cur Plato, Aristoteles, & veteris æui illius Astronomi Solem proximè supra Lunam, infra Venerem & Mercurium collocauerint. reuerà enim motu proprio Venus & Mercurius aliquando supra Solem scandunt, cùm ipsum sus deque circumeant. Vetusti igitur illi distantias eorum à terrâ dimensi sunt, quando Mercurius & Venus circa summam orbis sui apsidem siue apogæum, Sole eleuatiores erant, Ptolemæus verò & posteriores, quando circa imam & perigæam apsidem, infra Solem descenderant. Errauerunt verò vniuersi, arbitrantes eos aut perpetuò supra, aut perpetuò infra Solem versari. Venus etiam, vt ex eodem schemate cernis, quandoque descendit infra Mercurium, nam orbita eius circa Solem includit intra se orbitam Mercurialem. igitur Venus perigæa, quàm Mercurius perigæus, terræ est necessariò propinquior.

Martis deinde orbita intersecat viam solarem, & aliquando demittit se infra Solem: quod potest facilè, cùm sine solidis eccentricis & epicyclis, liquidum sit totum illud ætheris æquor. Colligit verò hanc intersectionem Tycho, ex parallaxi Martis, quam sæpe deprehendit maiorem solari. Scio multos, & in istis Keplerum, ob hanc maximè orbitarum Martis & Solis intersectionem, systema Tychonicum aspernari: sed reuerà perperàm, vt mihi videtur; nam Mercurius & Venus tantumdem, quantum Mars, faciunt. Debuit autem Mars alicubi se deijcere infra Solis orbitam, quia non poterat tanto gyro, quanto Iupiter & Saturnus, includere Solem & terram. In hoc ergo Mercurium & Venerem imitatur, post quos immediatè ambit Solem.

Hæc etiam contemplatio ad systema Tychonicum me vehementer ducit, quòd videam duo tantùm luminaria, quæ Opifici in creatione cæli præcipuè curæ fuerunt, *vt præessent diei & nocti*, Gen. 1. motus suos proprios circa terram vt centrum, ordinare, ceteros verò omnes Planetas ad Solem tamquam Principem se conuertere. Euidenti sanè argumento, Solem & Lunam (quorum maximè insignis in mundum elementarem est influentia) propter homines

& animantia proximè conditos esse, reliquos verò Planetas propter Solem immediatè, vt schemis & choreis inenarrabilibus eum circumludentes, radios eius ex varijs aspectibus in terram reflectant, & omnes actuosas illas influentias infringant, ac iuxta diuinæ sapientiæ legem modulentur. Itaque Planetæ omnes, præter duo luminaria, secundarij, & in subsidium influentiæ solaris creati sunt.

Idem de maculis, siue Planetis Borbonijs circa Solem, ac Mediceis circa Iouem censendum est. nam etsi hi Ioui proximè famulentur, remotè tamen, cum Ioue Regulo suo Regem Solem adspiciunt. Hæc igitur cæli Tychonica imago, Scripturæ sacræ, diuino & vero prototypo, propinquior mihi semper visa, quàm Copernicana, aut etiam Ptolemaica, quæ omnium Planetarum orbitas proximè ordinat circa terram veluti proprij motûs centrum. Deinde Ptolemæus nimis prolixâ epicyclorum supellectile cælum onerat, quod non facit Tycho. Nam *Tychoni, Solis & totius systematis planetarij vnus & idem circuitus, communis omnibus partibus, omnes tollit epicyclos*, ait Keplerus.

Astron. Optic. c. 10.

Hoc ergo systemate, donec emendatius quispiam dederit, vtamur. emendari enim aliquid posse, non dubito, cùm Astronomiæ plurimum ad perfectionis culmen adhuc deesse, oculis nuper ipsis intellexerimus, quos Batauico tubo misimus in cælum. Veteri igitur Socratis scito, oportet ista ἄνω καὶ κάτω στρέφειν, πρὸς ἄλληλα κολλεῖν τε καὶ ἀφαιρεῖν, *sursum deorsum versare, noua quædam agglutinare, demere vetera.*

Plat. in Phædr.

CAPVT XVIII.

Tres superiores Planetas vero, non imaginario motu festinare quandoque in ortum, aut in occasum retroagi. Solem instar citharœdi cum choro suo fugientis, in medio Planetarum versari.

NVllo argumento in speciem probabiliori motus terræ annuus à Copernicanis adstruitur, quàm isto stationis, directionis, regressionis Planetarum. Fateor enim sanè, si tellus eclipticam è regione Solis inter Planetas perambulet, aliquid istis simile euenturum eius quod iam in ipsis cernimus. Stare, inquam, festinare, aut retroagi Planetæ quandoque videbuntur, etiamsi pergere

re numquam cessent: sed effectus tamen iste à pluribus caussis esse potest, & vnicam, quia concinna videtur, ita amplecti vt ceteras nolis in aspectum venire, ingenij pertinacis est, & fatuelli.

Quispiam dum in flumine nauigat, si viderit omnes ripæ arbores in contrarium refugientes, non suo sed nauis & oculi motu; quid censeas, si is posthac nihil nisi simili imaginario motu circa se moueri existimet? homines in foro neget ambulare, sed ita solùm videri, & motum illum esse in suo oculo? nónne Anticyras mittas, & putes insanire? Hoc igitur ad Philosophiam Copernicanam transferamus. Potest fieri, inquiunt, vt per vnicum terræ & oculi nostri in Zodiaco motum omnes illos Planetarum lusus expediamus: igitur res ita habet, & lusus isti non motus veri, sed solùm imaginarij sunt. At sane neganda consequentia est; nam etiam alio modo ac per veros, non oculi nostri, sed Planetarum motus & epicyclos res ista potest extricari. imò Copernicus ipse non fuit epicyclorum tam vbique respuens, quin duos etiam Lunæ concesserit. Sed simpliciùs tamen, inquit Keplerus, per vnicum telluris motum nos explicare possumus, vbi Ptolemæus tot epicyclorum ambagibus vtitur, & spiræ Tychonis, quas in spatijs illis ætheris Planetæ describunt, sunt perplexissimæ. Li.4.Epit.

Verùm tot incommodis, quæ in telluris motu antè ostendimus, obnoxiam simplicitatem diuinus Opifex non quæsiuit, sed vt in horologio, quod multiplici rotularum instrumento tempus regit, voluit ingenium potiùs ostendere. Ciconiæ & aliæ quædam ἄσαρκαι & macilentissimæ aues vnicum & simplicissimum ile à rostro ad caudam habent, an ideò meritò gloriari, & homini, cui tot flexuosissimis spiris & orbibus ilia implicantur, obstrepere possint? Non quod simplicissimum, semper etiam perfectissimum est. Paucioribus fortasse sideribus, aut cælestium motibus potuit Deus necessitatibus inferioris mundi occurrere; noluit tamen, quia Principes affluentia, & liberales diuitiæ decent. Itaque vel Ptolemæi epicyclis vel spiris (quod magis opinor) quæ non longè à Tychonicis abludunt, & proprio Planetarum motu, in acceleratione illâ eorum & retardatione, vti maluit Deus, quàm paradoxo telluris motu. Et quamuis spiræ, quas in altum exsiliendo & desiliendo describunt Planetæ ludendo circa Solem, perplexæ sint, extricari tamen vtcumque à nobis valent; & satis est Artifici suo, & Angelis fortasse rectoribus perspectas esse. Et quid, quæso, etiam apud Copernicanos non perplexum & intricatissimum

est?

eſt? Keplerum, Gilbertum, Origanum, Lanſbergium, alioſque lege, videbis quàm in multis diſſideant. Keplerus circuitus Planetarum circa Solem contendit eſſe ouales, alij circulares malunt. Idem in corpore ipſo ſolari centrum omnium circuituũ ponit, alij cum ipſo Copernico extra Solem, non tamen procul ab eo collocant. Lanſbergius centrum orbis Saturni in ſphærâ Veneris, centra Iouis & Martis in ſphærâ Mercurij conſtituit. Terra deinde, Venus, & Mercurius, omnia diuerſa centra apud ipſum habent. Keplerus & Galilæus Solem circa centrum ſuum rapido turbine verſant, ceteri ferè quietem quam Copernicus dedit, ei ſeruant. Keplerus turbine iſto Solis, vniuerſa Planetarum & telluris corpora ab occaſu in ortum circumagi putat, & cùm diutiſſimè in fibris iſtis magneticis, quibus alliciuntur (vt credit) vel repelluntur à Sole Planetæ, fatigauit ingenium, ſuccumbit tandem in quæſtione, *Quibus ex cauſsis limites excurſuum recedant in antecedentia.* Nam
Lib.4 Epit. ingenuè confitetur: *Hactenus quidem cauſſarum plerarumque allatarum euidens erat veriſimilitudo: in hoc vltimo agmine rerum Aſtronomicarum ægrè ſuccedunt cauſſæ, laboratq́; cùm mens, tum maximè fides eorum, quæ quis commniſci poſsit.* Patere igitur Ptolemæum & Tychonem etiam in ſuâ Aſtronomiâ aliquid ignorare, Keplere.

Sed impensè mirantur omnes Copernicani, quomodo tres ſuperiores Planetæ, cùm Soli oppoſiti, & terræ viciniſſimi ſunt, ſemper retrogradi fiant, ſi per proprium ſuum motum verſus occaſum refugiant. cur enim in oppoſitione potius id ijs accidit, quàm in alio ad Solem adſpectu? Cur deinde, in iſtâ eadem oppoſitione, ſiue in acronychijs ſuis, ſemper maximi fiunt, & terræ propinquiſſimi? Cauſſam enim huius phænomeni concinnam reddent nobis Copernicani, quam Ptolemæi aut Tychonis Philoſophiæ non poſſunt.

Verùm, ſi Planetas vi aliquâ magneticâ Solis, circa centrum ſuum ſe reuoluentis, in orbem ab occaſu in ortum agi, Keplero accredamus, ratio fortaſſe huius vtriuſque miraculi ex diſtantiâ certâ & adſpectu Solis peti poterit. Si verò Angelorum miniſterio Deus aſtra agitat, res adhuc minùs impedita erit. Miniſter enim iſte Domini imperium adſpicit, & ad ſapientiſſimam eius legem, ſidus quod manibus, vt ſic dicam, geſtat, contorquet: & hoc quidem ſiue per eccentricorum & epicyclorum rotas & inſtrumenta, ſiue per ſimplices in vacuo æthere ſideris gyros, rem iſtam adminiſtret.

niſtret. Itaque admiratio tota ab ignorantiâ cauſſæ efficientis illius motûs venit, quam diuina mens admirabili ingenio ſic diſpoſuit, vt quibuſdam interuallis & ad Solem adſpectibus eleuaret, aut deprimeret ſideris corpus. Id etenim ad finem cui conditi ſunt Planetæ, neceſſe fuit. nam corporum ſuorum obiectu reflectunt & modulantur lumen & influentias, præcipuè Solis; quod non ex eâdem vbique diſtantiâ eodem modo poſſunt, vt ex crementis & decrementis lunaribus perſpicuè intelligimus. Igitur reflexio luminis, aut ſi quæ eſt alia influentia ſolaris, in certo ad Solem interuallo, poſtulat aut attolli aut demitti Planetæ reflectentis corpus, vt valeat reiectus ille luminis in terram redire, aut quocumque diuina ſapientia deſtinauit. Sic Mars, Iupiter, Saturnus cùm oppoſiti Soli, humillimi ſunt, & pleniori luce apparent, fortaſſe, (quia tunc acronychi) vt veſperi occidenti Soli in officium illuminandæ noctis ſuccedant: ob quem etiam finem Luna in oppoſitione plenitudinem habet, vt cùm à Sole remotiſſima eſt, nec perinde influentiam eius adiuuare poteſt, ipſa tunc per ſe plurimùm valeat, & occumbente Sole, ab ortu pleno ore aſſurgens, Sol quidam nocturnus, aut ἥλιος ἀσθενὴς, *Sol imbecillis*, vt vocat Theophraſtus, videri poſſit. Sic ergo etiam tres illi ſuperiores Planetæ (nam Venus & Mercurius nequeunt vmquam opponi Soli) è regione Solis occidentis ſurgentes, paruuli ſoles, aut certè lunulæ quædam imbecilles dici poſſunt, qui cùm longiſſimè à Sole receſſerunt, & influentiam ſuam minimè cum eo communicare valent, tunc à ſe validiores & grandiores effulgent, vt temperiei noctis plus afferre, & tenebras infringere poſſint. Retrogradi verò tunc etiam ſunt, quia quandoquidem motu veri, aut imaginarij epicycli, ab occaſu in ortum ſe vertentis, in imum perigæum deiecti ſint, debent aliquamdiu reuerti verſus occidentem, vt denuò in altum reſurgant: non enim per lineam rectam centrum Planetæ tollitur in altum & ſummittitur in terram, ſed per circularem, aut ſpiralem, cuius ſumma curuatura cadit ab occaſu in ortum, ſecundùm ſucceſſionem ſignorum.

Denique, quacumque viâ id eueniat, certum eſt, ad diſtribuendas ſiderum influentias id valdè conducere, & motus omnes illos, quos Ptolemæus eccentricis & epicyclis ingenioſè tribuit, in eum finem ab Auctore naturæ aſſumptos eſſe, & de cauſſis ipſis efficientibus idoneis prouidiſſe.

Et profectò, dum paullisper hîc resisto & muginor, itus illi & reditus superiorum Planetarũ satis videntur fieri proprio eorum, non telluris, motu, quia sic in Venere & Mercurio fiunt. Hi enim breuiori, quàm illi superiores, circulo, suo non alieno motu in altum se erigunt, & rursum deuoluuntur, nunc præcedunt, aut sequuntur Solem, nunc illicò se reijciunt in alteram eius partem. Quòd igitur duo isti inferiores proprio motu ludunt, non est verisimile à superioribus tantùm simulari. Idem etiam ex astris maculosis Borbonijs circa Solem, & Mediceis circa Iouem potest ostendi. nam isti minorum gentium Planetæ suo se motu supra principale suum sidus attollunt, & infra residunt, festinantque quandoque, aut retardantur. Hoc ergo ipsum tres etiam superiores facient, quia & ipsi secundarij ac famulares Solis Planetæ sunt, & planè, instar Borboniorum, Mercurij ac Veneris (licet capaciori gyro) circa ipsum motu proprio & periodico choros ducunt.

Venit iam mihi in mentem, cur fortasse fabulæ veteres Apollini (quem constat Phœbum siue Solem esse) citharam in manum dederint, ad cuius mensuram Dij gressum moueant & choreas ducant. quia circa Solem citharœdum, inquam, ceteri Planetæ, nutus omnes eius respectantes, & prout influentia eius flagitauerit, in varia schemata choreas suas figurant & torquent. Præter Dianam sororem tamen, id est, Lunam, quæ siluas & terram, aut Endymionem suum magis quàm fratrem Phœbum amat; ideoque circulum suum à Sole auersum ad terram sola conuertit.

Cogitate igitur iterùm mecum, primam Dei in cæli machinatione curam fuisse, luminarium creationem, *vt diuiderent diem ac noctem, & essent in signa & tempora, & dies & annos: vt lucerent in firmamento cæli, & illuminarent terram.* Hæc ergo duo principalia (non mole corporis, sed actione & vtilitate) astra, præter cottidianos circa terram circuitus, periodicos in Zodiaco suos motus proximè etiam ad terram tamquam centrum inclinant, vt *de pomis fructuum Solis & Lunæ*, ceterisque terræ frugibus animalia, ac præsertim Principem eorum hominem beent. Vnde hac motûs proprij, quâ terram amplectuntur, inclinatione satis significant, cuius immediatè ministerio & vtilitati facti sint. *Fecitq; Deus*, ait Scriptura, *duo luminaria magna: luminare maius, vt præesset diei, & luminare minus, vt praeesset nocti, & stellas.* Quæ scilicet

Gen. 1.

Deut. 33.

Gen. 1.

licet in ſubſidium luminaribus poſtremò adiectæ: præſertim Planetæ, tamquam proximi & familiares vernæ circumpoſiti Soli ſunt, qui aut impetum & ardorem eius mitigarent, aut influentiam corpore ſuo, velut ſpeculo, exceptam, longiùs & quò directè peruenire non poterat, diſpergerent.

Imaginamini igitur tripudium aliquod aut choream, in quâ citharœdus eodem agmine cum turbâ circa ſe tripudiante fugit, & cæleſtis circa Solem tripudij formaſtis imaginem. Aut ſi mauultis, cogitate Corybantes, vnico in medio agmine pulſante cymbalum & vnà ſaltante, circumcurſare ſuam Berecynthiam. Corybas ille cymbalotriba, Sol eſt, ceteri circa ipſum choros agentes, quinque Planetæ ſunt: Berecynthia, ſiue Cybele Deûm mater, omnium fabulantium conſenſu, terra eſt; quæ idcircò turritum caput habebat, qualis terræ ſuperficies.

CAPVT XIX.

Quarto & quinto argumento Capitis III. *annuum telluris motum perperàm aſtrui. Ridicula theologia Copernicana Lansbergij.*

SOl maior eſt terrâ, inquiebat Keplerus; igitur non ipſe terram, ſed terra ipſum debet ambire. Nam ſolemne eſt, vt Planetæ maiores à minoribus ambiantur. Sic Planetæ Borbonij Solem, ſic Medicei Iouem, ſic Auſtriaci Saturnum circumludunt, ſic Lunam videmus terræ factam eſſe pediſſequam: minor quippe vbique maiori famulatur. Sed argumentum imaginem veri haberet, ſi terra, ſtella aliqua foret inter erraticas. nam reuerà minor ſemper eſt ille erro, qui centrum alterius circuit, quia famulus eius, & ad incitandam aut hebetandam influentiam eſt ei appoſitus. Verùm terra aſtrum non eſt, neque ad iuuandam aut leniendam Solis influentiam, velut miniſtra eius, eſt ei addita; ſed ipſa Domina potiùs Solis eſt, propter hominem qui in ſuperficie eius colit. Nam *Solem, & Lunam, & omnia aſtra cæli creauit Dominus Deus in miniſterium cunctis gentibus quæ ſub cælo ſunt.* Deut. 4. Non eſt autem inſolens, vt Domini mole corporis vincantur à ſuis famulis, & ingentes Heluetios ſæpè circa Principem pumilionem vidimus. Sol igitur maior ſit homine & totâ terrâ; famuletur ei nihilominus, quia tanta moles ei neceſſaria ad miniſterium fuit.

At non decuit, ait Keplerus, vt homo in centro mundi cum terrâ suâ immobili semper desidêret, sed per Zodiacum inter Planetas ambulare cum domicilio suo debuit, vt ad cæli & astrorum dimensionem, varias stationes, vt Geometræ solent, caperet. Hoc etiam tam fragile argumentum inter arietes suos (sed vitreis cornibus) habet, & mirificè prædicat Lansbergius. Quasi verò enim non omnes Astronomi, etiam Copernicani, confiteantur, ad certitudinem mensuræ cæli & stellarum ne hilum interesse, siue Sol siue terra moueatur: nam distantia eodem modo variatur, vtrumlibet extremum accedat, aut recedat. Motum etiam terræ annuum conferre quidquam mensuræ fixarum, ridiculum est; cùm terra, earum, vt aiunt, respectu, quasi in eodem semper puncto, ob ingentem distantiam, permaneat. Et tamen agit infinitas Deo gratias Lansbergius, quòd ei per Copernicum duas in orbe telluris annuo stationes (quas, inquit, Ptolemæus nesciuit) pro dimetiendis Planetis & fixis *clementer manifestauerit: vt tam certi simus de possessione cæli* (videte, obsecro, admirabilem theologiam istius Copernicano-Caluinistæ) *post hanc vitam, quàm certò iam idem ad normam exigimus & mensuramus. Cui enim vsui ista cæli dimensio, nisi vt doceat hominem, quod tam aptè mensurare nouit, suo tempore quoque occupaturum? nam quanta est scientia, tantus quoque sit scientiæ vsus necesse est.* Et firmat id exemplis præclaris, *aquilæ, cygnorum, anserum, struthionum, formicarum*, quæ omnes habent scientiam, & vnà scientiæ vsum. Et tandem, *Concludo igitur*, inquit, *cùm Deus homini scientiam mensurandi cælum dederit, vsum quoque post hanc vitam concessurum.* Cernis iam, opinor, quomodo naturalis rationis etiam luculam amittat, qui semel Fidei Christianæ lucem abiecerunt. Quis enim sani capitis ad tam perperam consequentiam non obstupescat? Copernicani artem iam habent certò mensurandi cælum; igitur ibunt omnes ad cælum: quia scientiæ illius vsus est, possidere cælum. Si enim possidere debeam omnia, quæ certò metiri possum, breuî futurus sum locupletissimus omnium mortalium. Veniam primùm cum decempedâ in Zelandiam, dimetiar Lansbergij agellum, & possessione eum depellam. Sed quid agent miseri illi theologi, qui ex Apocalypsi nuper conati sunt dimetiri inferorum diametrum & peripheriam? nam *stadia* illa *mille sexcenta* putant esse longitudinem infernalis diametri. Hos igitur consequentia illa Copernicano-Caluinistica Lans-

Controu. 2. de Mot. terræ.

Apoc. 14.

Lansbergij detrudet etiam in inferorum possessionem? Pergit tamen in hac theologiâ Lansbergius. *Si formica,* inquit, *finem scientiæ suæ assequitur, qui est præparatio cibi per æstatem, & collectio tempore meßis, Prouerb.6. multo magis homo, præstantißima creaturarum, finem scientiæ assecutus, cælum ipsum post hanc vitam possidebit.*

Verùm, si colligere messem, est finis scientiæ formicæ; igitur dimensio cæli finis erit Astronomiæ Copernicanæ (quia scilicet actus, finis proximus sui habitûs est) non possessio cæli. Dixisses ergo potiùs, Lansbergi, frui aceruo & quæsitis per æstatem, esse finem phantasticæ scientiæ formicarum, ac proinde Astronomos cælo suo quandoque etiam fruituros; vt infrunita illa consequentia plus frontis haberet. Sed scito tamen, subterraneos prædones sæpè horrea formicarum tuarum depopulari, & misellas istas sine & fructu laborum suorum abigi: vt meritò Copernicani metuere possint, ne non omnes perueniant ad cæli possessionem. Sed affanias etiam continuat Lansbergius. Nempe ex istâ mensurâ cæli Copernicanâ adeò iam certâ & exploratâ vaticinatur, imò oculis ipsis euidenter prospicit, extremum vniuersi diem in ianuis iam iam esse. Nam veluti, inquit, dimensio templi Ezechieli Ezech. 40. ostensa, certò significauit templum à Chaldæis incensum mox instaurandum esse; ita *exactam quoque dimensionem cæli, à Deo vltimis demum temporibus reuelatam*, *euidenter ostendere* ait, *diem adesse, quo D. N. Iesus Christus, cum hortationis clamore, & voce Archangeli descendet è cælo, vt nos ad se tollat.* Nescio rideréne velim, an misereri. Vt enim malè hærentem illam iterùm consequentiam, inter templi illius & mundi instaurationem, ac vtriusque dimensionem non attingam (quam facilè contemnes, si alteram dimensionem nouæ Ierusalem Apoc. 21. legas, & tamen mundum veterem, tot iam ab illâ dimensione annis, adhuc hodie stare intelligas) cuiusnam, obsecro, reuelatione accepit Lansbergius tam *exactam cæli dimensionem?* An à Copernico? an à Keplero? (vnde pleraque sua habet, etsi obnixo silentio premat.) an à prophetâ non alio, quàm quadrante suo Astronomico? Certè à Copernico non potest, qui à Lansbergio terrâ cæloque toto in mensurâ dissidet. Nam Copernicus corpus Solis, consentienter penè Ptolemæo, solùm 1179. terræ semid. Lansbergius verò $1498\frac{1}{2}$ semid. & ampliùs à terrâ remouet: Keplerus magis

prodigè huic distantiæ 3469. semid. cum triente decernit. Copernicus deinde corporis solaris molem minorem quàm Ptolemæus, id est, solùm 162. terrâ maiorem constituit, Keplerus iterum in immensum adaugens, 3469. circiter ampliorem facit, Lansbergius medium quasi inter vtrumque, præceptorem cædens, 433$\frac{1}{7}$ vicibus est contentus. Et videte, quæso, ridiculam certitudinem mensuræ cælestis, quam isti homines mundo promittunt, & ob quam Deus omnes breuî Copernicanos (vnco fortasse, vt Claudium Cæsarem olim) in cælum sit attracturus. Quantò satiùs cum filio Sirachi, incertitudinem Astronomiæ Copernicanæ confessus, diceres Lansbergi: *Altitudinem cæli, & latitudinem terræ, & profundum abyßi quis dimensus est?* Et cum altero isto Sapiente: *Difficile æstimamus quæ in terrâ sunt, & quæ in prospectu sunt, inuenimus cum labore: quæ autem in cælis sunt, quis inuestigabit?* Nam Hipparchi, Ptolemæi, Albategni, Alfragani, Alphonsi, Regiomontani, Copernici, Tychonis, Kepleri, Clauij, Magini, id est, Principum Astrologiæ tam latum & enorme sæpè dissidium, disciplinæ illius fluctum & incertitudinem satis publicat. Nec te Lansbergij audacia magnopere moueat, qui demonstrationes suas euidentes, & tamquam cælo allatas iactat: nam alij illi ingenio, studio, instrumentorum supellectile longè instructiores, idem de suis tibi iurabunt, quotiescumque voles. Sed quoniam hucusque per deuia Lansbergium *testâq; lutoq;* secuti sumus, gradus etiam aliquot addamus, quò bellatulum aliud theologiæ eius Copernicanæ dogma nos porrò inuitat.

Eccli. 1. Sap. 9.

Mundus, inquit, instar oui est, cuius testa, stellarum fixarum sphæra sit, extra quam nulla pars mundi est reliqua. & tamen tertium cælum ad quod D. Paullus raptus (quod Catholici empyreum nuncupamus) stellis fixis superponit; sed tam spirituale, vt indicet nihil aliud esse, quàm ipsum Spiritum sanctum. Probat verò ratione perspicuâ, vt ait, tertium aliquod cælum orbi elementorum & sidereo incubare, quia vt ouum producat pullum, gallinam incubantem habere debet: igitur *spiritus Dei viuificans* duobus etiam cælis inferioribus incubare debet. Nam *duo visibiles cæli*, inquit, *occultas vires prodere nequeunt, nisi tertium pariter in eos operetur. Quàm euidens itaque, ouo productioni pulli intento desuper aliquid incubare à quo fouetur, tam certum est, duobus visibilibus cælis generationem quarumlibet rerum molientibus tertium quasi insidere,*

insidere, viresq; addere, cùm sine hoc non magis opus suum absoluere possent, quàm ouum sine incubatione gallinæ.

Parcite Galli, Hispani, Itali, Germani, solent Belgæ aliquantò plus ingenij & Mineruæ habere, sed paucos tales hæresis à mente sic abduxit. Quasi enim verò *spiritus Dei viuificans* non per totam & intimam mundi molem sparsus sit, & penitissima quæque penetret, sed in conuexam octauæ sphæræ superficiem se retraxerit, vt eam, instar gallinæ incubet, & admirabile ibi, nescio quod, cælum nobis concinnet. Nec enim ille Spiritus hoc modo extrinsecus tantùm incubauit (quod fortè putat Lansbergius) primis mundi aquis, sed toti abysso ad fundum vsquequaque infusus, eam ad piscium & volucrum genituram fecundabat. Non abstineo etiam manum, quin aliud leuiter attingam, quod in præclarâ illâ, De tertio cælo inuisibili, appendiculâ scribit Lansbergius. *Bruta animalia, imò res inanimatæ,* inquit, *ad ligna & lapides vsque, præsentis suæ vanitatis consciæ, in illum diem* (secundi Christi aduentûs) *perpetuò intentæ sunt, sub spe quòd & ipsæ tum vindicabuntur ex seruitute interitûs in libertatem gloriæ filiorum Dei. Rom.* 8. Igitur si illo die bruta etiam animalia vindicabuntur ex seruitute interitûs, para cælum aliquod, aut terrestrem paradisum pro anseribus, equis, & mulis resurgentibus, Lansbergi, aut Scripturam sacram disce melius, à SS. Patribus, non è cerebello tuo intelligere. *Creatura* enim illa, inquiunt, quæ *liberabitur à seruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei,* mundus iste corruptibilis est, cuius figuram præterire alibi Apostolus dicit. Hic autem non in brutis animalibus, lignis, & lapidibus (vt pinguis tua theologia credere se ostendit) sed in cælo & elementis, id est, principalibus suis membris innouabitur, & particulâ gloriæ filiorum Dei se vestiet. Vulgare enim est, nomine creaturæ & mundi, intelligi cæli & terræ compagem, quam in principio temporis statim Deus creauit, & sequentibus diebus exornauit. *Si mundum dixeris*, inquit ille Afer, *illic erit & cælum, & quæ in eo, Sol & Luna, & sidera, & astra, & terra, & freta, & omnis census elementorum.* Sed à *diuerticulo repetatur fabula.*

Rom. 8.

1. Cor. 7.

Tertul. De Virgin. veland. c. 4.

Sextum Capitis III. argumentũ erat magnifica illa & ἐπιστημονικὴ demonstratio Lansbergij, *cui, vtpote scientificæ,* inquiebat, *nullâ ratione contradici poßit.* Summa erat. Motum Lunæ in longitudinem Zodiaci, iuxta Ptolemæi & Tychonis (addo, omnium

Astro-

Aſtronomorum) ſententiam, ex motu Lunæ in proprio orbe, & motu Solis ſub eclipticâ compoſitum eſſe. quod fieri non poteſt, ait Lansbergius, quia Sol motu ſuo Lunam non trahit. Igitur pro Sole reponenda eſt terra, quæ ex paradoxo Copernici, elementa omnia & Lunam motu annuo ſub eclipticâ ſecum rapit. ſic enim Lunæ motus ex motu quo ſingulis menſibus reuoluitur circa terram, & ex altero motu terræ portantis quaſi per Zodiacum Lunam, permixtus erit. Sed aliud longè eſt, Lunæ motum in longitudinem, ex motu proprio, & Solis ſub eclipticâ componi, quod dicit Ptolemæus, & paſſim Aſtronomi; aliud, Lunam eodem tempore, duplici motu, vno ſuo, altero Solis aut terræ vehentis Lunam, moueri, quod vult Lansbergius eos dicere. Solùm igitur aiunt, vt Luna menſem ſuum abſoluat, & ab vnâ cum Sole coniunctione ad alteram redeat, non ſatis eſſe, 360. gradus, id eſt, totam Zodiaci longitudinem proprio motu emenſam eſſe, ſed motum inſuper 29. graduum (& quod excurrit) adijciendum; quia Solem non inuenit in eodem Zodiaci loco, vbi eum in proximâ coniunctione reliquerat, ſed inde verſus Orientem ad gradus 29. motu proprio ſub eclipticâ promotum: vnde vt eum iterùm aſſequatur, debet etiam ſuo motu ſpatium illud conficere, & in ſupputatione temporis integræ lunationis, oportet 2. circiter dies, quibus hoc ſpatium emetitur, ad 28. quibus Zodiaci longitudinem circumcurrit, addere. Et hoc eſt, Lunæ integrum, ab vnâ coniunctione ad alteram, motum, ex propriâ circa totum Zodiacum periodo, & motu intereà Solis (id eſt, particulâ motûs Lunæ tantâ, quantus intereà temporis fuit motus Solis ſub eclipticâ) compoſitum eſſe, vt ex Ptolemæi loco, quem citat Lansbergius, ex Albategnio, Maurolyco, Tychone, & omnibus à caluo ad caluum eſt manifeſtum. Ad hoc autem tam neceſſe eſt, Lunam à Sole aut terrâ per Zodiacum raptari, quàm opus mihi naui, vt Louanio pedes Bruxellam vadam. Et niſi hæc viderit Lansbergius, non valdè bonos oculos; ſi viderit, optimam habuiſſe oportet frontem, quæ non erubuerit puerile ſophiſma pro ἀποδεικτικῇ *demonſtratione, cui nullâ ratione poſſit contradici*, tot eruditis hodie oculis obijcere. Decipit autem æquiuoco. Ptolemæus enim motum Lunæ menſtruum ex duabus partibus ſucceſſiuis compoſitum dicit: quomodo totus motus quo Louanio Antuerpiam imus, ex parte vnâ hinc Mechliniam vſque extensâ, & alterâ quæ Mechliniâ deinde Antuer-

Ptol. lib. 4. c. 3. Alm. Albateg. c. 30. Maurol. Dial. 3.

Antuerpiam decurrit, eſt contextus. Lansbergius verò videri vult eum à Ptolemeo compoſitum ex duobus integris motibus, quibus Luna & à ſe, & à Sole ſimul (vel à terrâ, ſecundùm Copernicanos) agitetur: quomodo nautæ à puppi ad proram inambulantis motus, ex motu quem ipſe nauta ſibi, & altero quem ei nauis imprimit, eſt permixtus.

CAPVT XX.

Vltimo argumento, præceßionem Æquinoctiorum ab inclinatione axis telluris eſſe, minimè probari. Terram phyſicam Lansbergij circa axem ſuum non ſponte reuolui. nec terram Hebræis à curſu quo ipſa currat, nomen accipere.

DEbellatum ferè iam eſt, & ad nouiſſima tela, quæ laſsâ & velut moribundâ manu Copernicani ſpargunt, peruenimus. Libratio, inquiunt, à ſeptemtrione in meridiẽ, quæ Æquinoctiorum anticipationem facit, faciliùs & minori molimine in axis terræ inclinationem, quàm in ingentis ſphæræ cæleſtis vacillationem conijci poteſt.

Sed nego, reſtituto ſemel Soli & ſtellis fixis motu, operoſum aut difficile eſſe, hoc leuis librationis auctariũ, ad diſpenſandas mundo ſiderum influentias neceſſarium, iis adiicere: acceſſorium enim hîc ſequi debet ſuum principale. neque, ſi fixæ non grauantur cottidie ab ortu ad occaſum circa terram reuolui, graue etiam ipſis erit, tardiſſimo alio motu librari, & eclipticæ ac Æquatoris interſectiones mutare. Nec tamen idcircò nonam, decimam & vndecimam ſphæram mobilem, aſtris vacuam (vt hodie quidam faciũt) oportet ſtellis fixis ſuperſtruere. Vnica iſta aſtrifera ſufficit, quæ ſit prima mobilis, & varios immediatè motus recipiat, aut potiùs vnicum qui multorum imaginem habeat.

Defunctus mihi iam videbar omnibus argumentorum Phyſicorum moleſtiis, & aliò moliebar greſſum, ſed Lanſbergius etiam laciniam reducit.

Terra phyſica, inquit, ſingulis diebus vnam circa centrum ſuum reuolutionem ſponte abſoluit, idque conſtanter ab occaſu in ortum: quocircà, ait, *mihi dubium non eſt*, quin magna tellus eodem modo ſingulis diebus circumagatur.

O Labo-

Laborabam, fateor, vt mendacij tam callidi & per nefas ad sollicitandam telluris quietem reperti, vanitatem deprehenderem. sed operam mihi istam remisit, & egregiè me adiuuit Gilbertus, in re istâ magneticâ Princeps, & inter pertinacissimos Copernicanus. Terra autem physica nil aliud quàm lapis magnes est, quem Gilbertus terrellam seu paruam terrã, veluti contrà, terram, magnum magnetem appellat. Quid igitur de istâ magnetis ab occasu in ortum

Lib.6. c.4. cottidianâ vertigine Gilbertus? *Omitto*, inquit (& nos igitur etiam omittere possumus) *quod Petrus Peregrinus constanter affirmat, terrellam super polos suos in Meridiano suspensam moueri circulariter integrâ reuolutione 24. horis, quod tamen adhuc videre non contigit. De quo motu etiam dubitamus, propter lapidis ipsius pondus, tum quia tellus tota, vti mouetur à se, ita etiam ab aliis astris promouetur: quod proportionaliter in parte quâuis (vt in terrellâ) non contingit.*

Si igitur Gilbertus, tantus hîc & curiosissimus omnium artifex, nullum similem terrellæ motum deprehenderit, quis non videat, quo fine hæc conficta sint à Copernicanis? Deinde, esto rotet se ab occasu in ortum suspensus magnes, cur tamen terra similiter facere debet? multis enim aliis motibus admirandus est magnes, quibus terræ gleba euidenter caret. Falsum etiam omnino, & ex officinâ vnius Gilberti, telluris globum nihil aliud quàm magnum magnetem esse.

Experientiam quoque, quam in se narrat Cardanus (terræ aliquem tremorem ferè semper solitum percipere) in rem suam trahent fortè Copernicani. Sed nequidquam. nam Copernicanum terræ motum, quo illa fugit

Virgil. *Ocyor & iaculo, & ventos æquante sagittâ,*

imò rapidissimas tormentorum pilas longè præuertit, non solus Cardanus, sed & nos sentiremus. Potiùs igitur leuis illa terræ libratio fuit, quâ terra altrinsecus onerata, centrum grauitatis suæ in medium vniuersi perpetuò restituit, vt Archimedi & elementorum trutinatoribus placet. aut certè non corpus, sed imaginatio Cardano mota fuit. aut denique, spirituum animalium (quos supra modum subtiles habuisse iactat) vibratio, non terræ tremor fuit, quem solitus sentiscere Cardanus.

Argutiolas quasdam alias nectunt Copernicani, sed quæ ne muscam quidem capere valeant, ita sunt tenues; & id genus omnia dif-

difflantur tam facilè iis quæ in antecessum diximus, quàm folia ventis. Quòd denique Spiritum sanctum in partes trahant, nihil miror; hoc omnes etiam in fide Catholicâ errones, vt specioso mantelo se tegant, etiam facere solent. Quàm disertè in eos loquatur ille Spiritus, antè ostendimus, vt quid iam etiam cum volunt sententiam mutare?

Sed *à facie Domini* dicitur *moueri terra*, inquiunt: igitur non quiescit. Verùm magis id quàm blitum & omnes betæ betizat. Quis enim non intelligat, loqui de tremore, aut subsultu qui fit ministerio spiritûs subterranei, quo *montes exultant vt arietes, & colles sicut agni ouium*; non autem de motu Copernicano? de motu, quo, *respiciens terram, facit eam tremere*, non Pythagorico turbine rotari? vt enim hunc quiescere iubeat, ait ibidem, Dominum *fundasse terram super stabilitatem suam, nec inclinandam in sæculum sæculi.* Psal. 113. Psal 103.

Idem, & nil vltrà dicit S. Iobus: *Qui commouet* (id est, tremefacit, vt patet ex Hebræo) *terram de loco suo, & columnæ eius* (hoc est, subterraneæ rupes, quæ terram sustinent, velut columnæ aut ossa) *concutiuntur*. Hæ alibi sæpè appellantur fundamenta terræ. *In conspectu illius commouebuntur montes simul & colles, & fundamenta terræ, & cùm conspexerit illa Deus, tremore concutientur.* Terra etiam dicitur non rarò moueri, dum incolæ eius commouentur & turbant. Locus iste euidens & amœnus est: *Per tria mouetur terra, & quartum non potest sustinere. Per seruum cùm regnauerit, per stultum cùm saturatus fuerit cibo, per odiosam mulierem, cùm in matrimonium fuerit assumpta, & per ancillam cùm fuerit heres Dominæ suæ.* Tria autem illa non arripient (si Deo placet) pro caussis efficientibus sui terræmotûs, Copernicani. Iob 9. Eccli. 16. Prou. 30.

Denique nec Hebræi terram ארץ *erets* appellant à rad. רוץ *ruts*, id est, *cucurrit*, quia ipsa currat (quod vellent Copernicani) sed quia in superficie eius, à circumcolentibus eam animalibus, velut in curriculo & ἱπποδρόμῳ curritur. Sic enim etiam Circus aut stadium in quibus cursu certatur, *curriculum* Latinis, ἱππόδρομον, aut κατάδρομος Græcis, à cursu dicuntur. Paullò tamen aliter Pagninus. *Sunt qui dicant*, ait, *quòd radix nominis* ארץ *sit* רוץ *quod est currere: quòd super terram currat & circumdet eam iugiter sphæra. & sic Aleph non est radicalis littera.* Igitur, quia à cælo & Sole circumcurritur, à radice istâ nomen deriuat, non quia ipsa Solem, aut centrum suum circumcurrat.

EPILOGVS.

REdeat igitur in centri locum & quietem ſuam tellus, magna mater noſtra; quia ſic diuinæ, ſic humanæ volunt rationes. Scripturæ, inquam, ſacræ, & oculis noſtris faueamus, neque varæ rationis regulâ ſenſuum rectitudinem corrigamus: ſimiles vetuſto Anaxagoræ, qui (quidquid oculi reclamarent) niues eſſe nigras contendebat, quòd ex nigrâ concreuiſſent nube. Quid enim aliud Keplerus egit, dum Planetarum moles & interualla, ex quinque corporum regularium proportione potiùs nobis condidit, quàm ex certâ aut probabili parallaxi, vel oculorum experientiâ? Quid aliud omnes vbique Copernicani, dum clauſis oculorum luminibus, aciem totam in interiora conuertunt, & fatuellæ imaginationis luculam tam manifeſtæ veritatis luci anteponunt? cum

Lib. de Lin. inſect.

tamen Ariſtotelis, & veriſſimo in rebus iſtis naturæ, ſcito, *ἀφεῖναι τὴν αἴσθησιν, καὶ τῷ λόγῳ μόνῳ δουλεύειν, ἄτοπόν τε καὶ μάταιον, deſerere ſenſum, & ſolam rationem ſequi, abſurdum ſit & fatuum.*

Iniquiſſime verò Copernicani clamitant, quædam in ſententiâ quæ Solem mobilem facit, difficilia eſſe, propter luſus & admirabiles choreas, quas circa Solem perpetuâ fugâ ſe proripientem, exercent ceteri Planetæ; cùm in ſententiâ etiam eorum (ſi paucula excipias) nihil non difficile ſit & perplexum: quod & ipſi, vbi paulliſper ad mentem redierint, non infitentur. Deinde choreæ illæ Planetarum, quas epicyclorum vertigine expedire conatus eſt Ptolemæus, non adeò difficiles ſunt & impeditæ, quin nobis Keplerus etiam ipſe, mente & ſtilo egregiam deformare valuerit earum imaginem.

Lib. de Motu Mart. c. 1.

Plat. in Phædr.

Quo verò, diuinóne immediatè, an Angelico, an naturæ alterius ingenio illæ deſcribâtur, dicam cum Socrate, *ταῦτα μὲν οὖν Θεῷ μελήσει, hoc Deo cura ſit:* οὐ κυάθῳ τὴν θάλασσαν μετρῶ, *ego cyatho mare metiri nolo.* Præclarè, vt ſolet, D. Nazianz. *Deus latêre nos multa voluit, vt typhum noſtrum & arrogantiā comprimeret,* ἵν' εἰδῶμεν τὸ μηδὲν ὄντες πρὸς τὴν ἀληθινὴν σοφίαν καὶ πρώτην· ἀλλὰ πρὸς αὐτὴν νεύωμεν μόνον, καὶ ζητῶμεν ἀεὶ τὰς ἐκεῖθεν αὐγαῖς ἐναστράπτεσθαι, *vt intelligamus nos nihil eſſe, ſi cum verâ illâ & primâ Sapientiâ conferamur, ideoq; ad ipſum ſolum tendamus, quæramusq; ſemper affluentibus inde radijs fulgurari.*

Orat. 17.

Pſalm. 8.

Et alibi animaduertit, Prophetā olim Deo dixiſſe: *Videbo cælos tuos*

opera

opera digitorum tuorum, Lunam & ſtellas quæ tu fundaſti: quaſi in hac vita nulla vmquam aſtra vidiſſet, vbi non tam res ipſas, quàm earum (præſertim cæleſtium tam longè diſſitarum) τὰς σκιὰς μόνον ἔχομεν, *vmbras ſolas tenemus*; quia corpore terreno nondum exuti, οὐκ ἔχομεν γυμνῷ τῷ νοῒ γυμνοῖς τοῖς πράγμασιν ἐντυγχάνοντες, *nudâ mente cum nudis rebus conuerſari non poſſumus.* Orat. 34.

Equidem nullus dubito, quin cæleſtis illa machinatio, & Planetarum, ceterarumque ſtellarum admirabilis per ſpiras aut circulos, circa Solem, aut cum ipſo, irrequietiſſimo tot iam annos motu diſcurrentium, ad immenſæ ſapientiæ & infiniti ingenij normam expactus modulatuſque concentus, Angelis, totique illic mundo Piorum maximæ ſit admirationi; vt nemo miretur, diuinum Pſalten in parte beatitudinis futuræ poſuiſſe, videre cælos, Lunam & ſtellas, opera digitorum Dei.

Requieſcat igitur, quæſo, ſuper ſtabilitatem ſuam olim à Deo benè fundata tellus, noſque cum ipsâ: redeantque in circulos ſuos Sol & fixæ, ne aliquid fortaſſe diſſonet in muſicâ illâ cæleſti. Non optima ſemper harmonia eſt, quæ pauciſſimis chordis abſoluitur, & plenior, vibratiorque per plures modulatio diſcurrit: nec igitur, quia ſimpliciùs per vnicum terræ motum, quàm denſioribus Planetarum circuitibus, explicari poteſt, ideò melior & Artifice ſuo dignior cæli concentus.

Hæc, ceteraque quæ toto libello ſparſimus, niſi æſtiment, & nos iſtâ terræ vertigine inquietare deſinant Copernicani, fateanturq; in illam Protarchi legem, * μὴ κινεῖν εὖ κείμενον, commiſiſſe, caueant, ne terrâ, velint nolint, quieſcente, tandem vertigo in ipſos tranſeat, & Hippocrate indigeant, qui nec Ariſtotele, nec Scripturâ ſacrâ voluerint ad ſanitatem redire.

* *Non mouendum quod benè ſitum eſt.* Plat. in Phileb.

INDEX CAPITVM.

pter

FINIS.